





3467. a

~~XXXI.~~

Q. D. B. V.
DISSERTATIO ETHICA

POSTERIOR,
DE

1668, 54

JUSTITIA PARTI-
CULARI, ²⁰

Quam

Divini Numinis auspiciò, Amplis-
simæq; Facultatis Philosophicæ Suffragiò Benevolò

in incluta Academiâ Salanâ

Disquisitioni publicæ sistunt

PRÆSES

M. JOHANNES *Voigt*
LUNÆBURGENSIS,

ET

PETRUS DANIEL *Sarnich*

Hausen

Modrà Hungarus,

RESPONDENS.

In Auditorio Philosophorum

H. L. Q. C.

J E N Æ,

Typis JOH. JACOBI BAUHOFERI

Anno M. DC. LXVIII.



Q. D. B. N.
DISSERTATIO ETHICA

POSTERIOR
DE

IUSTITIA PARTI-
CULARI

Divini Numinis suspicio, Amplis-
sima Facultatis Philosophicae suffragio benevol-

in inclita Academia salina
Dignissimae Professurae
P. R. A. S. S. E.
S.

M. JOHANNES
L. B. U. R. G. E. N. S. I. S.

P. T. R. U. S. D. A. N. I. E. L.
S. A. M. M. I. C. H.

Respondens
Modo Praesentis
R. E. S. P. O. N. D. E. N. S.

In Auditorio Philosophorum

M. D. C. C.

L. E. N. A. E.

Typis Joh. Jacobi Bachmanni
Anno M. DC. LXXIII.



VIRI
MAGNIFICE, GENEROSI, AMPLISSIMI,
ATQUE CONSULTISSIMI

DN. GEORGI
GRAAD,

Liberæ, Regiæque Civitatis Sempronensis
Consul Spectatissime

DN. JOHANNES
SERPILI,

Judex ejusdem Civitatis integerrime
nec non

DN. LEOPOLDE
NEDEL,

Adfessor Senatorii Ordinis Gravisime,
meritissime

Dn. Patroni ac Promotores Optumi
Maximi.

Epistola Dedicatoria.

Interceptus fatò est. & a vitò jam conditus sepulchrò,
quem studiorum meorum remedium posueram, Vir
nimirum Generosus, Amplissimus atq; Consultissimus
PETRUS MELCHIORIS de ZUANNA, Consul per
undenariam annorum Seriem Sempronensis Rei-publi-
cæ bene merentissimus, nemini Paterno colono sine ex-
quisita laude cogitandus; & à me, quanquam inter æter-
næ illius ac superæ civitatis beatissimos proceres adscri-
ptus & cooptatus, sine suspiriis, (neq; enim sanctius quic-
quam habet reverentia superstitum, quam ut amissos
venerabiliter recordetur) nunquam in memoriam revo-
candus: Is enim erat ille, quem inexorabilia fata, pau-
cos ante annos, utròque Parente defunctis, solatium su-
perstes reliquerant; Is erat ille, qui post exantlatos stu-
diorum labores, solamen superesse poterat; & exhaustos
studiorum conatus benevolâ mente à reduce me, (si per
fata & præsentiam licuisset) accipere.

Sed quid severum cœli ordinem incuso? Quid
plenum annorum gloriâ, humanis rebus ex, emptum
revoco? Cur inevitabilem atrocissimæ necis necesstita-
tem frustra cogito?

Omnes eodem cogimur, omnium

Versatur urna, serius, ocius

Sors exitura, Et nos in æternum

Exilium impositura cymbæ.

Cum in VOBIS EVERGETÆ Beneficentissimi, Mæ-
cenates amplissimi, Promotores certissimi, revivificere
videam id, quod inopina mortis tela abstulerunt Solati-
um

um; imò comparationem instituere mihi si liceret, num
majora mihi à VOBIS jam præstita sint beneficia, atque
à beatè defuncto, meritò ambiguus pendeo; Vos enim
curam mei suscipientes, non modo exasctissimi VE-
STRI Judicii consilium benevolè subministrastis; verum
etiam ad faciendam uberiores bonarum artium & mo-
rum messem, ad exteriora atque ampliora, Academica
scilicet pulpita amandastis, illud vobiscum reputantes,
quod prudentes observare solent hortulani; Quemad-
modum enim illi arbores certò anni tempore è terra eru-
unt, &, ut largiora capiant incrementa, in aliam trans-
plantare solent terram, arbori, ut opinantur, utiliore;
Ita & VOS studiorum meorum habità ratione, me quo-
que ab illis, quibus ad ampliora progredi studiadeberem
conditionibus, infeliciter morari nolulistis; verum eo di-
misistis, ubi præeuntibus in Doctrina eruditissimis Do-
ctoribus & Ductoribus, acquiri possit id, quod à teneris
unguiculis ad hoc usque tempus, & futurum quoque,
concupivi; ut sicco silentii supparò reliqua jam invol-
vam; etiamnum (quod certè maximum) curam rerum
paternarum agitis strenuam, & pro Benevolentia VE-
STRA, *Patres Patriæ famigeratissimi*, tuemini illum,
qui, ope vestra destitutus, vel vivere non posset.

Ad VOS igitur, Nobilissimarum rerum scientià re-
fertissima pectora, totum me verto; ad VESTRAM Hu-
manitatem, tanquam ad sacram ancoram confugio; &
eandem, qua fructus sum hæctenus, benevolentia, etiam-
num mihi polliceor certissimam, quanquam enim de
eadem generosa mens vestra, & amplissima, quâ polletis
Auctoritas, desperationem menti inducere posset; cer-
tissimam

tissimam tamen vestram Humanitatem eandem depri-
mere posse, confestim sentio;

Ecquod verò pro tantis beneficiis DIGNITATI-
BUS VESTRIS adferam munus? Quales rependam gra-
tias? Accipite à me devotò peccore exiens votum: Ille

*Qui mare & terras variisque mundum
temperat horis;*

Ille, inquam, amplissimas VESTRAS amplificare fa-
milias nunquam cesset; Ille NOMINA VESTRA per
tot terrarum spatia famigeratissima, diu in terris supersti-
ta conservet; Ille ut hujus, quem inchoamus, anni prin-
cipium felix VOBIS sit atque faustum, medium feliciter
felicissimus egressus, benigne largiatur: Accipite à me
Patres Venerandi illam quam tuendam sumpsi Dispu-
tationem, eamque, quamvis NOMINIBUS VESTRIS
indignam boni consulite, & favere nunquam cessate

V. V. G. G.

Subjectissimo Clienti

Dum res & ætas & Sororum
Fila trium patiuntur atra

Petro Danieli Sarnichhausen,

Modrà Hungaro

RESPONDENTI.



DISSERTATIO ETHICA

de

Alterò justitiæ inferiori n.p. justitiâ particulari.

SECTIO I. DOGMATICA.

Ἀνευ ἀγορεύσεως καὶ παθῶν.

TH. I. Trita illa ICtorum definitio justitiæ particularis, quod sit perpetua & constans voluntas suum cuique tribuendi, satis concinna est & proba.

§. I.



Vrem ipsam à capite arcessamus, primò omnium erit annotandum, quare justitia hæc salutar particularis? an, quia particularis virtus est; an verò, quia universalis justitiæ pars est, eique in tantum contradistinguitur, quatenus hæc circa objectum universale est occupata, cum contrà particularis justitia non nisi circa particulare objectum versetur. Sed prius dici non posse, videtur clarum esse, aliàs enim omnibus reliquis virtutibus idem competeret jus talem admittendi denominationem, quod tamen ineptum, & receptæ loquendi consuetudini minimè est consentaneum. Quis namque dixerit fortitudinem particularem in Ethicis tradi, quasi verò adhuc universalis detur fortitudo; absortum! Unde plerique in eò conveniunt, justitiam hanc id propter talem sustinere denominationem, quoniam universalem justitiam tanquam totum integrale saltim per analogiam respicit ejusque pars est. Licet enim reliquæ virtutes seorsim consideratæ etiam justitia possint vocari, quatenus scilicet ad leges involvunt respectum, ut v. gr. dicatur, Liberalitas ad leges relata est justitia, nihilosecius tamen cum justitia non sit de essentiâ istarum virtutum in se consideratarum, & præterea usus non admittat, ut quælibet ad leges relata

nomine justitiæ particularis veniat, unaquæque potius sub peculiari gaudet nomine. Longè autem alia ratio est justitiæ particularis κατ' ἐξοχήν & essentialiter sic dictæ, hæc enim, cum justitiæ nomen per essentiam participet, jure merito specialem requirit denominationem, sive in se consideretur, sive referatur ad leges, ut dicatur particularis, cum aliàs recte distingui non posset à justitiâ universali.

Obji.

§. II. Dicis: Si justitia particularis ob hanc causam talem admittit denominationem, quia pars est justitiæ universalis, sequitur, quod, sicut justitia universalis ut sic respectum involvit ad leges reipubl. etiam justitia particularis in se spectata eundem involvat respectum. Sed falsum est consequens E. & antecedens. Consequentia firmatur, cum enim justitia universalis formaliter sit habitus complexus occupatus circa leges, in proclivi quàm maxime est, singulas partes debere leges suas respicere. Ad hoc ut respondeatur, notandum, justitiam universalem duobus modis considerari posse (α) materialiter, quatenus nihil aliud est, quam omnium virtutum cumulus. (β) formaliter, prout virtutes istæ ad leges referuntur, adeoque rationem legum habent. Si jam in anteced. sermo est de conceptu formali, totum potest concedi argumentum. Neque enim nos statuimus, ac si justitia particularis in se considerata justitiæ universalis formaliter spectatæ pars formalis esset. Sin autem antecedens de materiali loquatur N. C. benè namque justitia particularis justitiæ universalis pars esse potest, etiamsi non statim secundum formale.

Resp.

§. III. Hisce expeditis ipsa definitio justitiæ particularis in palæstram disputatoriam est deducenda, ac dispiciendum, num viribus polleat integris, omniaque antagonistarum tela excipere eaque declinare commodè valeat. Quandoquidem heic animosè insurgit cataphracta adversæ partis cohors, eamque in acie collocatam evaginatæ adoritur objectionum gladiis. Ecce enim cæsim ac punctim eam oppugnantes! Et quidem (I) generis loco voluntatem minùs rectè fuisse positam, sequens urget telum: Voluntas aut est genus justitiæ prout denotat facultatem animæ, aut prout significat actum. Sed neutrò modò. E. voluntas justitiæ genus esse nequit. Non priori: siquidem justitia est habitus perficiens ipsam voluntatem, unde cum eâ non potest coincidere, sed differt potius ab.

Obji. I.

ab eâ ut perficiens à perficiendo. Neque etiam posteriori, cum
hâc ratione definitum & definitionis genus in diversis stabulentur
prædicamentis; genus enim pertineret ad prædicamentum actionis,
definitum verò ad seriem qualitatum. II. Si sola Dei voluntas est
perpetua, perpetuitas voluntati creatæ non est attribuenda. Sed
prius verum est. E. Prob. quia voluntas ipsaque volitio Dei in se con-
siderata simplicissima est ejusdem essentia, non potest non perpe-
tua esse & æterna, tam à parte ante, quàm à parte post. Deus nam-
que ab omni æternitate indefinenter & non interrupto ordine se-
metipsum tanquam S. B. voluit & amavit, æternumque amabit, id
quod nequaquam voluntati humanæ licet affingere. III. N. Defini-
tio perfecta suo definitò est angustior. Atqui definitio justitiæ par-
ticularis definito suo est angustior. E. non est perfecta. Minorem
probat *Buridanus* ex eo, quia præter id suum cuique tribuere adhuc
alii dantur justitiæ actus, nempe honestè vivere ac neminem lædere,
qui tamen omnes sunt omis. Atque hinc haud præter rem *Picco-*
lomineus eam turrim firmissimam vocat, cujus anguli tres: Hone-
stè vivere, neminem lædere, ac suum cuique tribuere. IV. Cuicun-
que virtuti cum voluntate nihil est commercii, illa per voluntatem
perperam definitur. Sed justitiæ particulari cum voluntate nihil est
commercii. E. Min. prob. quia justitia subjectivè Inest appetitui
sensitivo, non autem voluntati. vid. *Piccol. l. c. cap. XIII.*

¶ IV. Verùm cum *Coryco* luctantur, inque cælum jaculan-
tur miserè. Stat enim inconcussa definitio, & adhuc solidius contra
secus sentientium insultus firmabitur, si prius responsiones ad singu-
la argumenta fuerint adductæ. Quod itaque (I) concernit, Resp.
voluntatem non idcirco in definitione justitiæ poni, quasi genus e-
jusdem sit, quatenus sumitur vel pro facultate vel pro actu, sed idè
adhibetur, quia cum reliquis verbis circumscribit habitum mora-
lem suum cuique tribuendi, ut hâc ratione occurrat Metonymia
subjecti pro adjuncto. Alii existimant, propterea voluntatis heic
loci fieri mentionem, quia justitia sola voluntati moderatur, cum
reliquæ virtutes etiam circa affectus compescendos refranandosq;
versentur. Verùm an hoc rectè sic dicatur, de eo conveniemus de-
inceps. Nonnulli asserunt, esse prædicationem impropriam, quan-
do justitia voluntas salutatur, & referri ad illam, quam *Logici* vo-
cant.

cant causalē, sumiq; vocem voluntatis pro actu voluntatis (non quasi
 actus iste voluntatis genus iustitiæ sit, sed) quia actus volendi sese ha-
 bet ad iustitiam habitualē, ut effectus ad suam causam. juxta hanc ex-
 plicationem sensus definitionis esset hic: iustitia est id, quò jus suum
 constanter ac perpetuò cuiq; volumus tribuere. Quod si autem ob-
 jicias, definitionem hanc ideò esse rejiciendam, quia caret genere;
 respondent, genus dupliciter in definitione poni posse (I) explici-
 tē (II) implicitē & circumscriptivē; & hōc posteriori modò etiam
 in præsentī definitione genus adesse dicunt, illa namque verba: quò
 jus suum cuique volumus tribuere, ipsis nihil aliud sunt, quàm de-
 scriptio habitus moralis. Ad (II) ut respondeatur, præmuniendum,
 perpetuam dici posse voluntatem duobus modis (α) quoad actū, qui
 scilicet nunquam interrumpitur, sed perpetuò durat. (β) quoad ob-
 jectum, circa quod voluntas versatur; & hāc ratione voluntas etiam
 perpetua dici potest, quando, quotiescunque objectum aliquod oc-
 currit, circa quod homo justè agere possit, toties etiam justè agere
 velit. Antecedens igitur falsum est. Licet enim voluntas Dei in se
 spectata quoad actum sola sit perpetua, nondum tamen sola perpe-
 tua est omni modò, potest namque humana etiam voluntas perpe-
 tua esse respectu objecti, ita ut perpetuò velit iustitiam exercere in o-
 mnibus, in quibus actus iustitiæ potest locum invenire. Siquidem
 hæc perpetuitas, sicut generale requisitum omnium virtutum est:
 ita in specie ad iustitiam particularem quàm maximè requiritur, ut
 firmo & constanti animò (non semel atque iterum) quis justè agere
 expetat atque desideret. Ad III. Resp. Neg. Min. in prob. Burida-
 nus extra chorum saltat, atque cum hīc sermo sit de aliis, ipse de
 cæpis loquitur. Quæritur enim, an ad iustitiam particularem plures
 requirantur actus præter quò suum cuique tribuere, ipse autem respon-
 det ad iustitiam plures requiri actus, nempe honestè vivere ac ne-
 minē lædere, qui tamē simul sumti non ad iustitiam particularem,
 sed universalem requiruntur. Neq; Piccol. l. c. iustitiam particularem
 turri triangulari comparat, sed universalem, id quod loc. cit. evol-
 venti obscurum esse nequit. Quid? Si dicatur unum hunc actum, qui
 clarè exprimitur, cæteros virtute continere. Nam qui ex veræ virtu-
 tis habitu suum cuique tribuit, is procul dubio honestè vivit, quia
 uniuscujusque virtutis finis honestas est; deinde, qui suum cuique tri-
 buit,

*Ad II.
 Resp.*

*Arist. 2.
 Ethic. cap.
 IV.*

*Ad III.
 Resp.*

*Giphanius
 Lib. V.
 Ethic. c. I.*

buit, is etiam neminem lædit. Quanquam negari non possit, per 70
honestè vivere, omnium virtutum honestatem innui, ita ut universa-
liter quis honestè vivat, non tantum particulariter, prout quædam
virtus in specie hoc requirit. Ad IV. Resp. Neg. Min. Quod in prob. *Ad IV.*
dicitur, justitiam subjectivè inesse appetitui sensitivo tantum, id *Resp.*
falsum est, uti in subseq. thesi hoc ipsum ad oculos evadet manife-
stum.

§. V. Diximus autem, definitionem hæcenus enucleatam
& ab objectionibus vindicatam esse justitiæ particularis definitio-
nem, non universalis, utut contraria sententia multos sibi conciliarit
patronos eximios. Etenim licet benignò interpretationis sale illam
adspargant, nondum tamen eum ipsi addere valuerunt colorem, ut
quilibet explicationis formam perpendens statim adducatur, ut
credat, eam esse justitiæ universalis definitionem. Siquidem exacta
& accurata definitio perspicuè & clarè definitum debet explicare,
aut si fortassis implicite in eâ quid veniat intelligendum, verba in
definitione expressè posita, id, quod omissum est, digitis quasi de-
bent ostendere, idque describere. Videamus jam an etiam tradita
justitiæ definitio istius tenoris sit. Dicunt igitur nonnulli, per 70
jus suum hæc denotari facultatem competentem s. talem potesta-
tem, quam ad aliquid homo habet, idque juxta legum præscriptum.
Alii adhuc clarius mentem suam exhibitori dicunt, per jus suum hæc
tale quid esse intelligendum, quod alicui s. personæ veræ s. fictæ, qua-
lis v. gr. status & universitas est, debetur, Sed quis mediocriter erudi-
tus non deprehendit, explicationem priorem insufficientem, poste-
riorem verò contortam esse. Quod enim illam attinet, rectissime
monet B. Hornejus, *multos inveniri actus vitam juri & legibus confor-* *B. Horne-*
mem reddentes, quibus tamen jus suum alteri non tribuatur, ut sobriè *jus lib. III.*
ac temperanter vivere, fortiter pugnare, mitem & mansuetum esse. *Ethic. c.*
Hos actus omninò observat justitia universalis, quis autem ille ho- *XI. §. 20.*
mo est, qui jus s. facultatem habeat ad eos, ut per hos ipsos ei ali-
quid sit tribuendum? fortassis Utopiæ erit incola. Altera verò in-
terpretatio est illata: quis namque est, qui auditis istis verbis: su-
um cuique tribuere, in intellectu suò talem formet conceptum:
personæ veræ s. fictæ, id est, legibus & universitati suum tribuere?
Nemo sanè. Atque hinc est, quare etiam Nobiliss. nonnulli Icti se-
cessum.

cessum fecerint ab istâ opinione dicentes, rectius particularem hic
definiri justitiam. Et quænam, quæso, necessitas, quæ fontica causa
adigit contrariæ sententiæ promachos, ut huic ostrei in morem ad-
hæreant, quasi verò aliâ lethale vulnus infligant definitionis hu-
jus auctori eam pro universali justitiâ venditanti, aut aliam in ejus
locum subrogare nesciant. Manet ergò certum, nullam aliam hic
definiri justitiam, quàm particularem.

TH. II Subjectum inhæSIONIS justitiæ parti-
cularis primarium & proprium est volun-
tas, secundarium autem & perfectionis
etiam appetitus sensitivus.

§. VI Quemadmodum aliàs moralium Doctores de subjecto
virtutum, quæ ad mores spectant, Ptolemaicam serunt litem: ita
in specie de subjecto justitiæ partic. contentions ferram recipro-
cant quàm maximè. Sunt qui putant, subjectum justitiæ esse vo-
luntatem, quorum Coriphæus est *Thomas*, hic existimat justitiam
propterea voluntati tantum subjectivè inesse, quia versatur circa
bonum alienum, cum contra appetitus sensitivus circa bonum pro-
prium versetur. Et potest confirmari hæc opinio ex eo, quia virtus
moralis à Philosopho definitur, quod sit habitus electivus, cum au-
tem justitia particularis sit quædam virtus moralis, erit etiam ha-
bitus electivus & consequenter subjectum ejus nullum poterit esse
aliud, quam voluntas, utpote ad quam libertas & electio pertinet.
Piccolomineus verò hanc sententiam à verò alienissimam esse ex-
istimat, proque voluntate genuinum ac proprium sicut omnium
virtutum moralium, ita etiam justitiæ subjectum ponit appetitum
sensitivum. Potissima ejus argumenta sunt seqq. (I) Ad quamcun-
que animæ partem pertinet via & semen justitiæ nobis per naturam
infectum, ad illam pertinet etiam ipsa justitia, ut ei inhæsi-
vè ac propriè insit. Atqui ad appetitum sensitivum pertinet via & semen
justitiæ nobis per naturam infectum. E. Min. prob. quia justitiæ se-
men pueris competit ante rationis usum, quemadmodum etiam
voluntatis, quod ideò fundamentum in nullâ aliâ re habere potest,
quàm in appetitu sensitivo. (II). Voluntas nullum exposcit virtutis
habi-

Thomas 2.
2. Sum.
Theolog.
quest. 58.
art. 4.

Piccol. gr.
4. Phil.
moral. cap.
XIII.
Arg. I.

habitu, E. etiam habitus justitiæ ei minimè erit attribuendus. II.
Quando enim ratio & perturbatio rectè sese habent, omnia congruenter sunt constituta, nec quicquam amplius desideratur. (III) III.
Quæcunq; virtus more & assuetudine acquiritur, illa pertinet ad appetitum sensitivum. Atqui justitia more & assuetudine acquiritur E. Min. prob. ex Arist. 2. Nicom. 1. asserente: *justi efficiuntur, cum ea facimus quæ justa sunt.*

§. VI. Sed dispiciamus primùm, quibus rationibus thesis proposita innitatur, exindè singula argumenta sub examinis incudem revocaturi. Prob. ergò (I) h. m. Si voluntas nostra indifferens est ad quodvis bonum & malum, ut cum appetitu sensitivò magis propendat ad malum (licet non sub ratione mali, sed boni apparentis) quam bonum verè tale, sequitur, etiam justitiæ habitum pertinere tam ad voluntatem, quàm appetitum sensitivum. Anteced. est verum. E. & consequens. Illud clarum est, cum enim voluntas nostra sit corrupta, insuperque gaudeat libertate, planum est, ipsam magis propendere ad malum cum appetitu sensitivo, quippe qui in quævis jucunda ac delectabilia per se fertur, quidni ergò tunc, quando voluntatem habet ducem. Consequentia prob. Nam si voluntas & appetitus sensitivus in statu corruptò ad quævis mala magis sunt proclives, etiam ad injustitiam erunt paratiores. E. utraque facultas habitu justitiæ indiget, quò determinetur ad justum prosequendum, injustum verò fugiendum. Atque hinc (II) argumentamur: Quæcunque facultates possunt habituari ad justè agendum, ad illas pertinet habitus justitiæ. Sed voluntas & appetitus sensitivus possunt habituari ad justè agendum. E. Dicis: Quomodo justitiæ habitus tam in appetitu sensitivo, quàm voluntate esse potest, cum sint distinctæ facultates, hâc ratione enim justitia distingueretur à se ipsâ? Verùm Responsio in ipsâ thesi jam tum data est, videlicet voluntatem esse subjectum inhæsionis justitiæ primarium & genuinum, appetitum verò sensitivum subjectum saltem perfectionis idque secundarium. Potest autem appetitus sensitivus subjectum perfectionis justitiæ esse, etiamsi justitia propriè huic non insit; sed ideò tantùm dicitur subjectum perfectionis, quia ab habitu justitiæ, qui alii propriè & immediatè inest facultati, perficitur, ut promptius voluntatis imperio & rectæ rationi obtemperet. Volun-

Obji.

Resp.

B

tati

21
22
tati autem justitiam primario & inhæsi-
cit discursus: Quæcunque facultas est formaliter libera adeoque
indifferens ad justum & injustum, à quâ inferior facultas, quicquid
libertatis habet, participare debet, & à quâ movetur, ei subjective
& primario inest justitia. Atqui voluntas est formaliter libera & in-
differens ad justum & injustum &c.E. Major propositio probatur, quia
enim justitia est habitus electivus, omnino subjective ei facultati de-
bet inesse, quæ formaliter libera est. Deinde quia voluntas movet
appetitum sensitivum imperio politico, ne semper in quavis dele-
tabilia atque jucunda feratur, manifestum est, voluntati primario
justitiam inesse debere. Etenim licet voluntas nostra moveatur ab
intellectu quoad speciem actus, ita ut intellectus proponat volun-
tati objectum cognitum, à quò tanquam principio formali exter-
no speciem actus sumere debeat, nihilo tamen minus, cum non ra-
rò voluntas, post habitum rectæ rationis judicium, cæcò impetu ruat in
id, quod recta ratio judicat malum & fugiendum, idcirco in volun-
tate requiritur habitus, quo promptè & expedite possit eligere illud,
quod rectæ rationis judicium dicitavit.

§. IIX. Quod autem *Thomæ* rationem concernit, qui pro-
pterea justitiam cum appetitu sensitivo nihil commercii habere ex-
istimat, quia hic bonum proprium observat, id absolute verum non
est, sed tantum locum invenit in appetitu sensitivo, qui in brutis re-
peritur. Ast in homine, ubi quodammodo rationis particeps fit &
voluntati subjicitur, omnino circa bonum alienum versatur, æquè
ut ipsa voluntas. Altera ratio nihil aliud probat, quam solam vo-
luntatem esse justitiæ subjectum inhæsi-
onis primarium, id quod ve-
risimum quidem, hoc tamen non obstante suo modo etiam ad ap-
petitum sensitivum referri potest, uti hoc ex dictis jam constat. Ra-
tiones Piccol. nullius sunt momenti. Ad (I) ut respond. notandum
per viam & semen justitiæ nihil denotari aliud, quam inclinationem
s. propensionem quandam naturalem hominis ad justa agendum,
quæ ex certis indiciis colligitur, hominem videlicet, accedente ple-
nario rationis usu, eò expeditius justè acturum, quia ex parte appe-
titus sensitivi minora adsunt impedimenta. Atq; hinc Resp. N. Maj.
Licet namque semina & initia hujus vel illius virtutis in puero quo-
dam ante rationis usum possint esse conspicua, prout his ipsis nihil
aliud

Ad I.
Resp.

aliud innuitur, quam impetus quidam ratione vacans sive *ἄλογος*, ut Arist. in Magnis Mor. lib. I. cap. ult. nondum tamen inde sequitur, quod virtus usu tandem comparata ei propriè facultati insit, in quâ comparuerunt semina s. indicia. Siquidem in teneris statim annis puer *ἄλογος* appetitus sensitivi impulsu hanc, istam adamare potest artem, quis autem dixerit, artem, quam in adultiori demum ætate perfectè addidit, appetitui sensitivo inesse, cum sit virtus intellectualis. In (II) Neg. anteced. Falsissimum est, voluntatem nullò indigere virtutis habitu; reclamant enim ipsius indifferentia ad bonum & malum, justum & injustum, reclamant itidem corruptio ejusdem profundissima. Quando in probatione dicitur, omnia se rectè habere, si modo ratio & perturbatio rectè sunt composita, verum quidem hoc est, sed quænam sequela: E. voluntas nullum requirit virtutis habitum. Quærimus enim unde appetitus id habeat, quod rectè sit constitutus, sanè à motivo Voluntas formali, unde autem voluntas id habet, quod appetitum imperio suò civili movere possit ad justum prosequendum? non ex necessitate quadam intellectus imperantis, quandoquidem ipsius dictamen rectum sæpissimè explodit. Unde probabilius est asserere, judicium intellectus practicè practicum non esse necessarium ad usum liberi arbitrii, sed satis esse illud judicium, quò medium judicatur utile & pensatis omnibus aptum, quod eligi possit: quod judicium licet verè sit determinatum, positò tamen tali judicio manet adhuc voluntas indeterminate terminata, ita ut possit actum suspendere, quia per tale judicium judicatur ita hoc bonum esse eligibile, ut tamen non sit necessariò eligibile. Sed neque ex naturâ suâ, indifferens enim est & libera ad B. & M. E. ex virtutis habitu. Ad III. Resp. Neg. Maj. habitus namque acquisiti omnes communiter crebris acquiruntur exercitiis, adeoque etiam usu & assuetudine, quis autem crediderit, omnes habitus acquisitos subjectivè ac propriè inesse appetitui sensitivo. Sanè habitus & peritia disputandi usu & exercitatione comparatur. Ast quid cæco cum speculo? quid appetitui est rei cū habitu disputandi?

TH. III. justitia Particularis circa peculiarem affectum refrænandum versatur, voluptatem nimirum lucrò perceptibilem.

vid. Ober²
tus Giph²
nius VI.
Ethic. cap.
XIII.

Eustachi-
us à S. P.
Sec. Part.
Ethic.
Tract. I.
de princ.
A. H. q.
IV.
Ad III.
Resp.

§. IX. Exprimitur hâc thesi objectum justitiæ particularis cum internum, tum externum, illud est voluptas s. cupiditas lucri, hoc verò omne illud, quicquid nomine lucri, voce hâc latè sumtâ, venire potest. Alii objectum justitiæ particularis externum constituunt bona externa, qualia v. gr. sunt honores, opes ac divitiæ, quod tamen non ita est interpretandum, ac si bona externa tantum justitiæ particularis objectum externum sint; quin potius interna quoque nonnulla sub eò comprehendi ipse Philosophus voce *σωτηρίας* videtur innuere, quâ h. l. nihil aliud quam sanitas denotatur, hæc autem bonum internum est. Potest tamen etiam externum salutari respectu voluntatis, cui, prout hæc sumitur, non est intrinsecum quippiam. Cæterum circa utrumque objectum pauca quædam sunt monenda, atque notandum, esse nonneminem, qui audacter asserere non erubuit, *se hæctenus nullum affectum invenire potuisse, quem particulariter justitia temperet. Lucri cupiditatem, inquit, qui afferunt, tanquam à justitia frenandum affectum, quod intendunt minimè evincunt. Cum enim lucrum vel sint ipsæ opes & pecunia, vel honores, illarum autem cupiditatem moderetur liberalitas & contentatio, horum modestia, nondum conparet aliquis affectus, quem speciatim temperet justitia.* Hæc ille. Sed nodum in scirpo quærit Autor. Sanè si ratio hæc esset alicuius ponderis, eòdem modò contra externum objectum justitiæ cuiusvis argumentari esset integrum h. m. Si Liberalitas versatur circa opes ac divitias, modestia circa honores, sequitur quod justitia circa illa objecta non sit occupata, & per consequens etiam non detur talis justitia, qualem aliàs Philosophi describunt, quod tamen nequaquam concesserit. Sciendum igitur, justitiam omninò peculiarem temperare affectum, puta amorem lucri perceptibilem ex illis bonis, quæ alteri debentur, utne minus alicui tribuatur, quàm ipsi reverâ debetur. Quamvis enim Liberalitas æquè versetur circa cupiditatem pecuniæ, licet etiam modestia sit occupata circa amorem honorum, ita ut hi affectus à virtutibus istis ritè componantur, nondum tamen inde fluit, quod affectus isti compefcantur respectu objectorum istorum quomodocunque consideratorum. Enimverò potest quidem homo rectè sese gerere circa pecunias & opes liberalitatem exercendo, ut tamen non statim rectè sese gerat circa easdem justitiam exercendo, qui actus permultum differunt

Dub.

Solutio.

ruñt & appetitum nostrum diversimodè afficiunt. Siquidem multi in erogandis pecuniis faciles sunt propterea, quia suâ sponte ac propriæ voluntatis impulsu ad liberalitatem, tanquam virtutem eximiam, exercendam adducuntur, si autem lege cum illis agere voluisses, certè non ita proclives eos invenisses. Pari ratione multi haud difficulter liberalitati navant operam, at verò si quando alter ex debito quicquam accipere debeat, manibus pedibusque illum circumvenire conantur. Nititur ergò adducta sententia falsâ hypothesi, quasi is, qui circa pecunias & opes alteri præcisè non debitas rectè versatur, statim quoque circa pecunias alteri debitas rectè se se gerat, id quod falsissimum & contra quotidianam experientiam est. Paucis mutatis hæc possunt applicari ad modestiam; ut ut enim hæc sit occupata circa appetitum honorum, quos fortassis quis ab altero ob dignitatem suam expectare potest, hoc tamen non obstante justitia particularis temperat amorem lucri, perceptibilem ex honore, qui alteri debetur. Id est: justitia impellit eum, penes quem est autoritas & potestas publicos honores distribuendi, ut unicuique tantum tribuat, quantum ipsi respectivè & intuitu concivium debetur. Dicis: justitia particularis debet temperare amorem lucri; si hoc verum est, etiam justitia distributiva lucri amorem temperabit, quod tamen videtur falsum. Nam quando quis bona communia distribuit, ut uni plus, alteri minus tribuat, ipse sanè qui ita distribuit inde nullum percipit lucrum. E. justitia distributiva non frangit amorem lucri. Resp. Omnino justitia distributiva temperat amorem lucri, etiam in eo, qui dictò modò bona communia inæqualiter distribuit. Licet enim lucrum hâc ratione in ipsò non terminetur, idem tamen causa est, quò minus quilibet accipiat, quantum ipsi debetur.

Obji.

Resp.

§. X. Circa obiectum externum observari meretur illa longò usu contrita distinctio inter materiale & formale. Siquidem obiectum justitiæ particularis externum ita comparatum est, ut quædam virtutes ab hâc distinctæ suâ ratione etiam circa illud versentur, sed materialiter consideratum, non verò formaliter, prout involvit respectum ad alterum, qui in eò consistit, quod bona illa h. l. aliena sunt seu alteri debentur: sub quibus etiam comprehenduntur minora mala.

B 3

TH. IV.

TH. IV. Officium justitiæ Particularis est,
in attribuendis bonis & imponendis
malis æqualitatem sive medio-
critatem servare.

§. XI Virtutes morales si transcendant modum vel medium
in vitium & malitiam convertuntur, inquit Idiota in contempl. de a-
more div. cap. XVI. exactè respondens menti cum Aristotelis, tum
aliorum Philosophorum statuentium, omnem virtutem consistere
in mediocritate 2. Ethic. VI. Atque hoc quidem iuxta communem
sententiam, non desunt tamen, quibus id non videtur verisimile.

- Eustach.* Eustachius enim à S. P. asserere nullus dubitavit, omnem virtutem
Sum. Phil. moralem consistere in medio quoad essentiam **EXCEPTA JUSTITIA**,
Part. III. quia quicquid fit contra jus, sive ad excessum sive ad defectum vergat,
Ethic. semper injustitiam parit: quò fit ut justitiæ sola opponatur injustitia.
tract. III. Argumentum (I) erit tale: Quæcunque virtus non habet duo extre-
quest. 2. ma, illa non consistit in mediocritate. Atqui justitia particula-
Obji. I. ris non habet duo extrema. E. justitia particularis non consistit in
mediocritate. Min. suâ radiat luce, quocunque enim modò quis
stateram transgrediatur, semper non nisi injustitiæ nomine culpandus
Obji. II. erit. At verò injustitia unus est habitus, non duo. (II). Si ex-
trema omnium virtutum moralium sunt vituperiò digna, sequitur
justitiam non habere duo extrema, adeoque eius officium non esse
servare mediocritatem. Antecedens uti verissimum: ita per se
clarum est, unde facibus solem adjuvare super sedemus. Conse-
quentia prob. quia plus alicui de bonis tribuere, quàm ipsi compe-
tit, non est injustum; neque etiam injustum & peccaminosum est
minus de oneribus diviti imponere. Ut ita singuli justitiæ actus
non nisi unum habeant extremum, sive hoc sit defectus, sive exces-
Obji III. sus. (III). Duo extrema virtutis nunquam unò committuntur a-
ctu. Sed plus & minus tribuere unò committuntur actu. E. plus
& minus non sunt duo extrema, & per consequens justitia non
consistit in mediocritate. Min. prob. Eò ipsò enim actu, quò al-
terum defraudans sibi plus sumit, alteri minus relinquit.

§. XII. Sed hæc in devia errorum præcipitia nos deducunt,
ma.

VI. HT

maneamus in mediò & ibimus tutissimi. Diximus autem munus *Cic. de fin.*
justitiæ particularis esse æqualitatem servare, quò ipsò nihil aliud *Bon. &*
innuitur, quam rō suum cuique tribuere. *Proprium munus, inquit Mal. lib.*
Disertissimus Romuli Nepotum, justitiæ consistit in suum cuiq; tribu-
endo. Hoc est, justitia efficit, ne uni plus, alteri minus, sed suum *5.*
cuique, inæqualibus inæqualia, æqualibus æqualia tribuantur.
Quando enim non accipiunt homines, quod oportet, rixantur & *Ad I. Resp.*
turbas concitant. *Arist. 5. Ethic. 5. Ad I. Resp. Neg. Min. proba-*
tionem ejus ne titivilitio quidem emendam ducimus. Quod enim
plus & minus tribuere uno nomine injustitia appellantur, hoc ipsum
pondum probat, unum tantum vitium justitiæ esse oppositum. Ex
identitate nominis non statim identitas rei concludenda, aliàs
Gallus gallinaceus & homo ex Galliâ oriundus non rectè distin- *Ad II.*
guerentur. *Ad II. Resp. N. C. ad prob. dicimus, injustum quàm Resp.*
maximè esse alteri plus dare, quam ipsi debetur, in hâc scil. specie
virtutis (de liberalitate enim & Magnificencia aliter sentiendum)
Quod si enim quis semper ita justitiam administrare vellet, sibimet-
ipsi damnum inferret, ac tandem paxillo fieret nudior. Deinde
æquè injustum est, Diviti minus de oneribus imponere, licet non *Ad III.*
in se, respectivè tamen, respectu scil. pauperum. *Ad III. Resp. N. Excell.*
Maj. Benè namque aliqua duo extrema virtutis vocari possunt, non *Gœzius in*
obstante, quod unâ actione excessus & defectus committantur; *prælect.*
quin potius, cum plus & minus tribuere semper distincta subjecta *Ethic. de*
respiciant, clarum est, illa duo extrema esse, nil derogante unita- *just. Sect.*
te actus, quæ occurrit. *III. propos.*

TH. V. justitia Particularis ritè dispescitur
in distributivam & commutativam,
tanquam in diversas & distinctas
suas species.

§. XIII. Assertio hæc opposita est *Buridano*, qui *5. Ethic.*
quæst 7. audacter contendit, justitiam distributivam & commuta-
tivam minimè justitiæ particularis species subjectas esse, sed esse u-
nam justitiam diversis saltim nominibus, ob diversam res ad æqua-
litatem redigendi rationem, nobilitatam. Sed cornicum ocu-
los configit cit. autor. Omnino enim specie differunt, cum di-
stingu-

Obji.

Resp.

stinguantur objectis & ratione formali, at quæ ita distinguuntur, illa meritò specie inter se differre censentur. Quò pertinet etiam ipsius Philosophi haud oblcurus consensus, quando passim eas justitiæ particularis species vocat, ut 5. Ethic. cap. 2. 4. & 5. Cap. 5. claris adstruit verbis: *justitiæ particularis jurisq; ejus, quod ad ipsam pertinet, una species est, quæ in distributionibus aut honoris aut pecuniarum, aut rerum consistit &c. Altera quæ in commerciis hominum emendandis consistit.* Dicitur: Si justitia distributiva & commutativa specie differunt, sequitur quod non determinatè undecim, sed duodecim dentur virtutes morales. Consequens receptissimæ sententiæ è diametro est oppositū, eiq; repugnat. E. & antecedens quæque falsum est. Resp. N. C. Quando enim certus virtutum moralium constitutus fuit numerus, respexerunt autores eas saltim species, quæ proximè & immediatè subjicerentur virtuti tanquam generi, sive jam sint specialissimæ sive subalternæ. Quoniam igitur justitia particularis est species subalterna virtutis eique immediatè subjicitur, justitia verò distributiva & commutativa virtuti mediate subordinantur, ideò his omisissis, justitiam particularem tanquam certam & ab aliis distinctam virtutis speciem assignarunt.

T.H VI. justitia Distributiva est virtus moralis de Bonis & Oneribus communibus suum cuique tribuendi; & quidem juxta Proportionem Geometricam.

§. XIV. Rempubl. duabus rebus contineri, præmiò & pœnâ autor est prudentissimus Solon, referente Cic. Epist. 15. ad Brutum. *Quandoquidem post genus hominum natum pauci reperti sunt, qui vitam suam, nullis propositis præmiis, pro patriâ hostium telis objecerint; ceu hoc ipsum idem testatur Tullius orat. XXXV. pro L. Corn. Balbo. Quamdiu etiam salva maneret respubl. si omnis ab eâ exularet pœna, si improbis pro lubitu quidvis tentandi libera esset potestas. Hinc utrumque summè necessarium est, ut præmiis constitutis boni alliciantur ad omne illud præstandum, quod reipubl.*

salu.

salutare est, mali verò suppliciiis gravioribus ab omnibus vitiis avo-
centur, Eâ finî quoque Philosophus justitiam in duas divisit spe-
cies, quarum altera, nempe distributiva, præmia sive bona communia
rectè distribuere docet, altera, quæ correctiva audit, præscribit
quomodo inter alia pœnæ improbis sint infligendæ. De hâc in
subseq. de illâ gratâ brevitate in præsentî agemus thesi. Circa de-
finitionem igitur (I) notandum venit *Genus*, quod est virtus mora-
lis: alii dicunt, quod sit habitus moralis, ubi tamen vix pilus in
medio est, nisi quod habitus moralis genus justitiæ distributivæ re-
motius sit, virtus moralis verò propinquius. II. *Objectum* sunt bo-
na & onera communia. Aristoteles I. sup. cit. ita objectum hoc
proponit: justitia distributiva in distributionibus aut honoris, aut
Pecuniarum, aut rerum consistit, quæ dividi in eos possunt, qui
ejusdem civitatis participes sunt. Nonnulli justitiæ distributivæ
objectum statuunt Bona Communia, nullâ factâ mentione onerum
communium, existimantes onera illa comprehendî sub bonis, cum
ipsò annuente Philosopho, minus malum respectu majoris boni in-
duat rationem. Res tamen eodem redit, sive quis hîc sive illò
loquatur modò, in re ipsâ enim suavissimus est consensus. Ex qui-
bus manifestum est, per bona communia nihil intelligi aliud pri-
mariò, quam quod nomine totius communitatis inter plures cives
aliosque s. præmii s. honoris titulò distribuitur, qualia v. gr. sunt
pecunia, reditus publici, agri hostibus erepti, officia publica, &
quæ sunt hujus generis alia. Quænam autem onera communia sint,
determinatu non adedè est difficile, videlicet quicquid modò one-
ris reipubl. conservandæ ergò civibus imponi potest, illud primò
per onus commune hic denotatur. Deinde si in quâdam aliâ com-
munitate seu societate, quæ respubl. non est, onus quoddam venit
distribuendum, etiam illud huc spectat. Illius generis sunt tri-
buta, vigiliæ publicæ & omnia alia onera, ad quæ sustinenda sub-
diti sunt obstricti; hujus verò quodvis damnum, ad quod, si eveni-
ret, participandum omnes, qui societatem inierunt, ultrò se ob-
tulerunt.

§. XV. Utut autem objectum justitiæ distrib. perspicuè sa-
tis atque clarè fuerit propositum, suas tamen, uti quidem existi-
mat *Hugo Grotius*, Vir cæterâ Doctissimus, suas habet difficulta-

5. *Ethic.*
cap. 5.

Arist. 5.
Ethic. 7.

Hugo Gro-

C
tes

res de ju- tes suosque patitur manes. Neque magis verum est, inquit, quod
re Belli & à nonnullis dicitur, Attributricem (seu Distributivam) *versari circa*
Pacis lib. res communes. Contra enim, si quis de re suâ legare velit, attribu-

1. cap. 1. trice justitiâ uti solet. Quia ergò datur actus justitiæ distributivæ,
§. 8. qui versatur circa rem privatam, falsum omninò erit, justitiam

Obji. I. hanc tantùm versari circa res communes. Ejusmodi autem a-
ctum dari, facilè patet. Nam quando quis de re sua privata ali-
quid legat, est actus, non tamen justitiæ commutativæ, utpote cum

Obji. II. quâ nihil habet commune. E. distributivæ. II. Deinde & hòc in-
fringi posse videtur ariete: Quid enim? Si certa pecuniæ summa
indivisim à privato quodam homine toti civitati testamento fu-
erit legata, postea verò civitas illam distribueret, nonne actus il-
le justitiæ distributivæ foret proprius? Omninò, siquidem civitas
pecuniam distribueret proportione Geometricâ; at enim verò pe-
cunia ista s. legatum illud non est res communis, sed privata, cum

Obji. III. à personâ privatâ dependeat. III. Denique & illud non omni pror-
sus caret dubiò, quando in definitione dicitur, onera communia
esse alteri debita his verbis: de oneribus communibus suum cuique
tribuendi. Quicquid enim alicui debetur, illud citra injuriam ipsi
detrahi nequit. Sed onera communia citra injuriam alteri possunt
detrahi. E. illi non debentur.

§. XVI. Verùm inania hæc sunt & specioso ac decepturo
circumlita fucò, intra nihil habentia fronti tuæ simile. Distin-
guendum hic probè est inter objectum justitiæ distributivæ mate-
riale & formale. Materiale constituunt Bona & Onera. Forma-
le autem datur duplex, nempe genericum, & consistit in respectu
ad alterum, quatenus bona & onera hujusmodi pertinent ad ju-
stitiam generaliter sic dictam. Deinde specificum, & est nihil a-
liud, quam bonorum & onerum communitas, de quibus qualibet
communitatis pars tantum participare debet, quantum ipsi debe-
tur: & sub hâc ratione pertinent ad justitiam distributivam quâ ta-
lem, eamque à commutativâ distinguunt. Similiter bona privata
dupliciter possunt accipi (I) *Reduplicativè*, prout bona privata
attenduntur, ut talia sunt, hoc modò referri possunt cum ad ju-
stitiam commutativam, tum liberalitatem, minimè verò ad ju-
stitiam distributivam. (II) *distributivè*, quatenus bonum priva-
tum amittit suam formalitatem, accipiturque pro communi. Jam

ἐν ἐπιτομῇ ad argumenta, & speciatim quidem ad I. Resp. N. Antec. cum ejus probatione; siquidem actus ille, quò quis de re suâ privatâ aliquid legat, non est actus justitiæ distributiæ, sed liberalitatis, cum legare nihil aliud sit, quam donare, id quod liberalitatis opus est. Non enim tenetur is, qui aliquibus de re sua aliquid legat, circa æquales æqualitatem servare, sed prout volupe est, uni plus alteri minus citra ullam injuriam legare potest, etiamsi uterque fortassis eodem præmio dignus sit. Quod sanè non imitatur justitia distributiva, quippe quæ æqualibus æqualia, inæqualibus inæqualia tribuit bona. Ad II. Resp. Neg. pecuniam toti civitati legatam adhuc rem privatam esse, quin potius hòc ipsò, quod legata est civitati, facta est res communis, pristinamque suam formalitatem amisit, adeoque ad communia spectat civitatis bona. Ad III. Resp. Onera communia bifariam considerari possunt (I) præcisè intuitu illius, cui onera ista imponuntur, quâ ratione non rectè dicitur, onera esse alteri debita, quia nemo, qui ab oneribus liberatur, ullâ afficitur injuriâ (II). Relativè, respectu sc. civitatis s. etiam communitatis, quatenus v. gr. civis cum cive comparatur. Quò pactò falsa est Minor, nequaquam enim onera communia alicui citra injuriam possunt detrahi, licet non in se, respectivè tamen, quia aliàs reliquis plus oneris imponeretur, atque revera justum esset.

Ad I. Resp.

Ad II.
Resp.

Ad III.
Resp.

¶ XVII. Sed consideremus perpaucis etiam rationem formalem justitiæ distributiæ, illa autem consistit in proportione Geometrica. Termini hi cum actu signato sint mathematici, juvat illorum definitiones ex Mathefi heic adponere. Proportio igitur in genere est nihil aliud, quàm plurium numerorum ad se invicem comparatio, ita ut certâ ratione sese insequantur. Geometrica autem in specie proportio est comparatio numerorum non omnimodâ æqualitate à se invicem distantium, s. est talis numerorum coordinatio, ut quoties primus in secundò toties tertius in quarto contineatur. v. gr. 2. 4. 8. 16. Sicut enim sese habent 2. ad 4. ita etiam sese habent 8. ad 16. At verò binarius ad quaternarium ita se habet, ut bis in eò contineatur. E. octonarius ad 16. eâdem se habebit ratione. Quemadmodum igitur differentia horum numerorum inæqualis est, ita ut non quilibet numerus præcedentem binitate superet, ceu secundus primum, eâdem ratione etiam in justitiâ distributiva non

Om̄nimoda observatur æqualitas rerum, sed hoc proceditur modò:
Sicut se habet Meritum seu dignitas unius Personæ ad meri-
tum seu dignitatem alterius: ita etiam sese habet præmium,
quod uni cedit, & onus quod uni imponitur ad præmium
& onus alterius. Sint v. gr. distribuendi 18. aurei inter ducem
& militem gregarium quæritur, quot unusquisque jure accipere
debeat? Hic sanè distributio ritè institui nequit, nisi prius de di-
gnitate singulorum accuratè constet; quod si jam compertum ha-
betur, quotò gradu quis extiterit fortis, facillimo negotiò ista
pecuniæ summa legitimè poterit distribui. Ponamus ergò mili-
tem in 2. gradu fuisse fortem, ducem verò in quartò, proportio
Geometrica h. m. esset instituenda: Sicut se habet fortitudo mili-
tis 2. ad fortitudinem Ducis 4. ita etiam sese habet præmium mili-
tis ad præmium ducis. Sed fortitudo militis ita se habet, ut for-
titudò ducis eam bis contineat E. etiam præmium ejus ita debet es-
se comparatum, ut in præmio Ducis bis contineatur. Si igitur mi-
les de 18. istis aureis 6. Dux verò 12. accipiat, distributio juxta pro-
portionem Geometricam ritè erit peracta.

§. XIX. Cum autem suprà TH. IV. fuerit dictum, justitiæ
particularis officium esse æqualitatem servare, §. verò præced. ne-
gaverimus, justitiam distributivam omnimodam rerum æqualita-
tem attendere, cogitare quis posset, hæc inter se pugnare, id pro-
pter homonymiam vocis æqualitatis & inæqualitatis paucis evol-
vemus. Advertendum igitur, æqualitatem vel inæqualitatem
heic loci considerari posse aut inter Præmia & Onera ipsa, quæ aliis
tribuuntur aut imponuntur: aut inter dignitatem Personarum &
præmia seu bona & onera distribuenda: aut quatenus voces
istæ denotant actum Distribuendi justum & æquum, injustum
& iniquum. Priori modò in justitiâ distributivâ æqualitas
occurrit tunc, quando cives æqualis sunt dignitatis, hæc ratione
enim æqualia accipiunt præmia, hoc est, talia quæ quantitate &
valore inter se non differunt. Inæqualitas autem oritur, quando
v. gr. unus civis ampliore gaudet dignitate, quàm alter; quò mo-
dò major quæ quantitatem & valorem portio cedit ei, qui majori
pollet dignitate, minor verò illi, qui dignitate est inferior, ut ita
præmia illorum, si inter se conferantur, inæqualia sînt; quæ tamen
inæqualitas injusta non est. Alterò modò in justitia distributivâ
æqua.

æqualitas rarissimè aut nunquam occurrit, ut nimirum tantum quisque accipiat, quantum ejus dignitas in se requirit, sed ferè semper occurrit inæqualitas quæ tamen iterum, cæteris paribus, non est injusta. Tertiò verò modò justitiæ distributivæ semper æqualitatem servat, id est, tantum de bonis & oneribus communibus unicuique tribuit, quantum ei respectu concivium tribui potest, ut illi quoque suum auferre possint. Ex quibus jam constat, quâ ratione justitiæ distributivæ semper servet æqualitatem, quâ etiam non item.

§. XIX. Atque hinc porrò manifestum est, justitiæ distributivæ à commutativâ differre (I) *Objecto*. Siquidem justitiæ distributivæ objectum sunt res communes ad totam communitatem respectum involventes, cujus quælibet pars aliquid de illis participare debet. At verò commutativæ objectum sunt res singulares, domesticæ ac privatæ, quæ non totius communitatis nomine, sed titulo privato s. civi s. peregrino tribuuntur. II. Differunt etiam *Merito*: in distributivâ justitiâ meritum est dignitas personæ; in commutativâ non personæ dignitas, sed res ipsa permutanda meritum est. (III) *Formâ*. Justitiæ distributivæ æqualiter quidem distribuit bona & onera communia, non tamen simpliciter & absolutè quoad quantitatem & valorem, sed respectivè, quantum videlicet unius dignitas status & conditio respectu alterius requirit. Nam si magistratus de bonis & oneribus communibus personæ alicui tribuere vellet, quantum ejus dignitas in se considerata requirit, nihil hoc ipsò fieri posset iniquius, siquidem concivibus hæc ratione detraheretur id, quod ipsorum esset. Et tamen secundum justitiæ distributivæ bona & onera communia æqualiter, id est, justè distribuuntur, respectivè nimirum, prout alii concives & consortes itidem suum accipere possunt. Contrà verò justitiæ commutativæ semper æqualiter & adæquatè quoad quantitatem & valorem res permutat, aut si inæqualiter fuerint permutatæ, easdem æqualiter corrigit, sepositò omni personarum respectu.

§. XX. Antequam hinc abeamus, carbone adhuc notamus eos, qui in locum vocis tribuendi substituunt vocem tribuens vel tribuit. Sed ineptè; Definitiones concinnandæ sunt ex essentialibus, ommissis accidentalibus: at verò accidit justitiæ actus tribuendi E, ille erat

omittendus. Dicis: Ergone Stoicis subscribitis? Resp. Si mens Stoicorum rectè explicetur, nihil habet incommodi.

TH. VII. justitia Commutativa est virtus moralis in rebus privatis ad invicem permutandis omnimodam & exactam servandi æqualitatem, juxta proport. arithmet.

Sin autem magis arrideat, hanc justitiæ particularis speciem cum Stagiritâ Correctivam salutare, seq. poterit observari definitio: justitia Correctiva est virtus moralis commercii contractibusq; inæqualibus æqualitatem inferendi.

§. XXI Altera justitiæ particularis species ob diversa officia diversis insignitur nominibus, dum modò commutativa, modò correctiva justitia vocatur, illud antecedenter & à priori, hoc verò consequenter & à posteriori fieri solet. Res enim aut permutantur æqualiter, ita ut quisque suum auferat; & est actus justitiæ commutativæ; aut inæqualiter, ita ut unus plus alter minus accipiat; & sic requiritur actus justitiæ correctivæ, quæ inæqualitatem istam corrigat. Licet autem justitia hæc diversis gaudeat nominibus ac definitionibus, non tamen propterea iterum in duas distinctas species dispescitur, quia istæ definitiones non differunt essentialiter, sed tantum accidentaliter, ob diversa munia, quæ justitia vicibus diversis diversòque respectu obit.

Hugo Grotius loc. sup. cit. Obji.

Resp.

§. XXII. Objectum ejus diximus esse res proprias & privatas ad invicem permutandas; quod tamen iterum evertere conatur Hugo Grotius h. m. Quando enim civitas de communi aliquid reddit, quod quidam civium in commune impenderunt, sanè actus ille spectat ad justitiam commutativam, id autem quod redditur est bonum commune. E. justitia commutativa non tantum versatur circa res privatas, verum etiam communes. Sed Resp. Quando civitas in tali casu aliquid reddit, id quod redditur sese non habet per modum boni communis, sed singularis & quasi privati. Tunc enim civitas non ut communitas aliqua consideratur, sed ut altera pars contrahens cum civibus, non omnibus, sed aliquibus saltim. Licet igitur civitas in se spectata sit commune quippiam, licet etiam objectum

jectum in tali contractu in se consideratum aliàs fit res communis, in hoc tamen reru statu non considerantur ut res communes, sed ut singulares & privatae, ideoque etiam permutatio non Geometrica sed arithmetica proportione instituitur. Siquidem bonum, quod redditur, non ita est commune pluribus, uti aliàs in iustitia distributiva esse solet, sed certis duntaxat personis ob specialem contractum debetur. Unde adhuc manet verissimum, objectum iustitiae commutativae esse res singulares & privatas ad invicem permutandas. Aristot. objectum hoc exprimit voce συναλλάγματος V. Ethic. cap. II. quam varii reddunt variè, verum an de bitam ejus latitudinem fuerint assecuti, non immeritò dubitatur. Ipsa quidem origo vocis hujus suadere videtur, inquit *Giphanius*, ut de iis dicatur rebus f. negotiis, quibus homines dando & accipiendò facultates inter se permutent, quod fit pensionibus, mutationibus &c. Et hæc quidem vera & propria hujus verbi est notio, cum ob notationem & originem, tum quia plerique ita eò sint usi. At enim Aristot. latius eò est usus, neque enim contractus duntaxat, sed delicta & scelera, omnia denique civilia negotia, testamenta, nuptias, meo quidem iudicio, eò est complexus. Quæ tamen tam latè patens hujus verbi notio, haud scio, an apud ullum præterea scriptorem reperiat. Videntur tamen jureconsulti contractus vocabulum eò interdum porrigere: nam & contrahere fraudem & delictum dicunt & *Triphoninus* in l. si rerum. D. de re jud. Ex malò, inquit, contractu s. delicto. Est & tertia hujus verbi notio angustior prioribus & juri civili propria. Vocant enim jureconsulti συναλλαγμα negotium, ex quò actio civilis nascatur, quare pacta propriè dicta carere dicuntur συναλλαγμοι; Contractus dicuntur habere συναλλαγμα, ut affert *Ulpianus* ex *Aristone* ICTO, in l. juris gentium ff. de pact. Est & quarta notio item ICTIS tantummodò nota, angusta quoque, quâ non omnes contractus, sed certos duntaxat, ex quibus utrinque nascatur obligatio, qualis venditio, emtio, locatio, complectantur. Mutuum igitur, commodatum & stipulatio non sunt συναλλάγματα, ut ex quibus utrinque non nascatur obligatio. Haec tamen ille. Atque ex his ceu pronò fuit alveò, permutationes & contractus, quorum in thesi facta mentio, sensu potissimùm Aristotelicò esse accipiendos, quatenus συναλλάγματος vocabulò non tantum denotantur contractus voluntarii, ad quos pangendos utraque pars liberè concurrat, verum etiam

Giphanius
Lib. V. E-
thic. cap.

II.

180

181

iam involuntarii, quales sunt furtum, homicidium, raptus, alique hujus generis varii. Hæc enim ratione adæquatum hujus justitiæ speciei objectum exprimitur, quia ipse Philosophus συναλλάγματα statim dividit in ἐκείνα s. voluntaria, & ἀκείνα s. involuntaria, non quasi hæc nullô modô sint voluntaria, sed quia ejus ratione, in quem aguntur, quique vel ignorans vel vi coactus violatur, involuntaria sunt, licet ex parte violantis omninò voluntaria sint. Obiter saltim notandum voluntarios contractus primarium ejusdem constituere objectû, involuntarios quasi secundariû, quia justitia hæc circa illos non tantum dirigendo & corrigendo versatur, verum etiam impellendo, suadendo ac promovendo, circa hos verò tantum corrigendo.

§. XXIII. Ut igitur accuratius constet, quid de objecto justitiæ hujus sit habendum, iterum probè observari meretur sæpè sapiens laudata distinctio inter materiale & formale. Materiale justitiæ hujus, prout commutativa vocatur, objectum sunt contractus voluntarii, s. permutationes liberè instituendæ. Formale autem, quatenus permutationes fieri debent proportione Arithmetica. Prout verò justitia hæc Correctiva appellatur, objectum materiale sunt contractus cum voluntarii tum involuntarii inæqualiter jam in actum traducti, quorum hi Idem maleficiorum ac delictorum veniunt nomine. Formale autem est maleficiorum istorum aliorumve actuum inæqualitas corrigenda. Dicis: Actus nonnulli involuntarii, quales sunt raptus, adulterium, alique à temperantiâ potius, quam justitiâ corriguntur. Sed Resp. disting. aut enim actus illi spectantur ex parte subjecti, cui v. gr. libidinositas inest, aut intuitu subjecti læsi. Si priori, temperantiâ omninò circa ejusm. actus occupatur, sin verò posteriori modô, solius justitiæ correctivæ est personæ læsæ satisfacere.

§. XXIV. Formalis ratio justitiæ commutativæ consistit in æqualitate juxta proportionem arithmeticam constituendâ. Est autem proportio arithmetica nihil aliud, quàm comparatio numerorum æqualiter à se invicem distantium. Talis comparatio & coordinatio in his occurrit numeris: 3. 6. 9. 12. quantum enim secundus superat primum, tantum quartus superat tertium & ita consequenter. Fiat jam applicatio ad rem præsentem h. m. Quemadmodum numeri isti æqualiter à se invicem distant: eadem ratione in justitiâ commutativâ res permutandæ æqualiter à lucro & damno distant,

ita

Obji.

Resp.

msi

ita ut nullus permutantium plus vel minus accipiat. Sive enim quis rex sit aut subditus, sive herus aut servus, sive dives, sive pauper, qui permutationem instituit, ob statum tamen & conditionem suam neque plus neque minus accipere debet, sed tantum quilibet accipit, quantum v. gr. pretium uniuscujusque præcisè & absolute requirit, hoc est, res permutandæ ubique æqualiter sese respiciunt, absque ullò personarum respectu. Sicut enim proportio arithmetica institui potest, licet planè numeri eò modò, quò in proportione Geometricâ hoc peragitur, inter se non conferantur: pari ratione justitia hæc æqualitatem juxta proportionem arithmeticam potest observare, etiamsi inter permutandum personam cum personâ non comparet. Secus autem res habet in distributivâ justitiâ, siquidem magistratus s. alius, penes quem est potestas distribuendi bona communia, ritè ac justè, id est, æqualiter nemini suam portionem tribuere poterit, nisi illum cum aliis comparaverit ac probè perspexerit, quid distent æra lupinis. Ast in justitiâ commutativâ contrahentes sibi invicem satisfaciunt neglectò personarum respectu; harum namque dignitas tunc nihil habet momenti: & licet aliàs contrahentes dignitate sint inæquales, h. l. tamen pro æqualibus habentur. Observatur igitur in justitiâ hæc proportio arithmetica, quando uniuscujusque res permutabilis æqualiter à lucro & damno distat, quemadmodum numeri in proportionis arithmeticæ exemplo æqualiter à se invicem distabant.

§. XXV. Dicis (I) Omnis virtus servat proportionem Geometricam, quia servat medium quoad nos. Sed justitia Commutativa non servat proportionem Geometricam &c. E. non est virtus. Conclusio est absurda E. vel Maj. vel Minor, non autem Major, utpote quæ est in confesso apud omnes. E. Minor. Verùm Resp. Maj. est falsa, hypothesis enim, quâ statuitur proportionem Geometricam & medium quoad nos esse unum idemque, falsissima est. Siquidem medium quoad nos est absolutum quid, quod sua cuique recta præscribit ratio sine comparatione ad alterum, sed medium Geometricum est respectivum, neque inveniri potest, nisi comparatione mutuâ unius ad alterum. Dicis II. omninò in justitiâ commutativâ proportio Geometrica occurrit, si enim ostensum fuerit, numeros geometricos hic dari, simul probatum erit, proportioni Geometricæ hîc esse locum relinquendum. Ponamus igitur duos fratres inæquali pre-

D

tio

Obji. I.

Resp.

Obji. II.

Pro pannum emtuos, ita ut una ulna veneat 2. imperial. sanè proportio Geometrica h.m. commodè institui poterit:

Sicut se habet pretium unius v. gr. 6. imperial. ad pretium alterius 12. imper. ita etiam sese habet numerus ulnarum unius ad numerum alterius. Sed pretium unius ita se habet, ut bis contineatur in alterius pretio. E. etiam numerus ulnarum unius bis debet contineri in numerò alterius. Unde prior 3. alter 6. jure expectat ulnas.

Resp.

Sed Licet in certo casu numeri Geometrici hinc possint applicari, hoc tamen non fit necessariò nec antecedenter, sed consequenter saltim & per accidens. Quot enim ulnas quilibet fratrum accipere debeat pro pretiò suo, illud non discitur tandem ex comparatione ista Geometrica, sed potius hoc tanquam jam antea notum præsupponebatur. Notum enim erat unam ulnam venire 2. imperial. notum etiam erat, alterum fratrem habere 6. imper. E. absque ulla comparatione ad fratrem suum expectare poterat ac debebat 3. ulnas. Eadem est ratio alterius. Ut ita proportio arithmetica primariò hic locum inveniat ac necessariò. In justitia verò distributiva proportio Geometrica unicè necessariò requiritur, utpote quæ arithmetica non potest præsupponere, & sola est ratio, quare distributio hinc vel illò modò institui debeat; at verò si quando in commutativa justitiâ numeri geometrici per accidens occurrunt, illi non sunt ratio s. causa, quare permutatio hinc vel illò modò fiat, sed potius proportio arithmetica in causa est.

Dubium.

§. XXVI. Quidam eam fovent opinionem, quod in commutatione ejusmodi adhibeatur quidem proportio arithmetica, in investigatione verò pretii rerum res paulò difficilior sit. Cum enim diversi sint, qui res diversas inter se permutant, dicunt proportionem illam simpliciter adhiberi non posse, sed Geometricam esse præmittendam, quâ pretia rerum permutandarum investigentur, his tandem investigatis, pergunt, rectissimè adhiberi proportionem arithmetica. Pro hac suâ sententia adducunt auctoritatem Aristotelis, qui disertè ita scribit cap. VIII. Lib. v. Ethic. Sed in communitatibus commercialibus tale jus retaliatum conservat rem, si ex proportione, non ex æqualitate existat; contra enim faciendo ex proportione civitas continetur. Proportio hic significat Geometricam, inquit, idque ipsum Philosophum seq. schemate Diagonalis indicare voluisse, habent persuasissimum;

A. B.

A.	B.
Ædificiorum opifex	Sutor
C.	D.
Domus	Calceus

Disertissimè verò investigationem pretii ab ipsâ commutatione discernere Philosophum in sequentibus: Quod si, ait, primùm sit æquum ex proportione, deinde retaliatum efficiatur, erit id quod dicimus; sin minus, æquum non erit, neque consistet, nihil enim vertat, quò minus opus alterius, alterius opere præstabilius sit, quocirca adæquanda ea sunt. Hactenus illi.

§. XXVII. Verùm hæc sententia nostrum non meretur calculum. Quod ut ostendamus clarius, notandum, in justitiâ commutativâ necessariò præmittendam esse rerum æstimationem, adeoque prudentiæ opus hic quàm maximè requiri, ut illa indicet, quantum una res alteram dignitate & valore superet. Nam nisi hoc prius certò constet, justitia suò munere ritè defungi minimè potest. Rerum autem dignitas, quantum ad præsens, est duplex (I) *naturalis*, quæ ex ipsius rei naturâ æstimatur, & sic musca quavis gemmâ etiam pretiosissimâ dignior est, idque ob animam sensitivam. II. *Arbitraria*, quæ dependet à voluntate hominum & indigentiâ, & sic ex rei utilitate, quâ ratione gemma multò majoris venit, quàm musca. Quando igitur dicimus, quod prudentiæ opus sit rei dignitatem æstimare, non prior sed posterior dignitas intelligitur, quæ ex usu, arte item & labore artificis mensurari solet. Arist. 5. Ethic. c. V. Hoc si sedulò fuerit observatum, justitia non solum unicuique suum tribuet æqualiter in rebus permutandis, verùm etiam inæqualitatem, si quæ occurret, juxta proportionem Arithmeticam diligentissimè corriget. De pœnis & damnis, quomodo illa sint æstimanda, infra suò loco. At enim verò sicut hoc quidem ultrò largimur, videlicet rem cum re, antequam fiat permutatio, esse conferendam, uniuscujusque rei dignitatem & valorem probè æstimandum: ita negamus ac pernegamus, in illò qualicumque respectu proportionem Geometricam propriè consistere. Certè actus ille, quò res æstimantur, per se non justitiæ particularis, sed alterius cujusdam facultatis est, hic tamen propterea præsupponitur, ut justitia proprium suum actum exercere & æqualitatem vel Geometricam vel arithmeticâ proportionem constituere possit. Neque enim is qui res metitur & æsti-

Solutio

Ma- mat, statim æqualitatem inter eas constituit. Ratio est, inquit Ex-
gnif. Dn. cellent. D. Joh. Musæus, quia actus metiendi seu æstimandi sive rerum
D. Joh. pretia, sive actionum merita, naturâ prior est constitutione æqualitatis.
Museus in Rerum autem pretiis investigatis tandem justitia suo fungitur mu-
disp. Ethic. nere, ut æqualitatem arithmeticam constituat, resque æqualiter
câ de æ- permutet. Locus Aristotelis nodus Cassioticus non est; nam
qualitate ibi disputat contra Pythagoricos jus talionis quoad æqualitatem
S. XLV. simpliciter defensitantes, & dicit, jus talionis simpliciter non esse
it. Disput. esse justam; si enim quis magistratam pulsarit, non satis est, inquit,
de proport. si rursus percutiatur, sed pœnâ etiam affici debet. Unde porro intert,
arithm. & quod, si justa æqualitas debeat observari, illa conjungenda sit cum
Geometr. analogia s. proportione. Qualis autem proportio indicetur an Geo-
S. XIV metrica, an verò Arithmetica, *πρῶτος* quidem non exprimitur, quam
 tamen velit intellectam, ex contextu facile potest colligi. Siquidem
 mens Aristotelis huc redit, res non posse permutari simpliciter, ni-
 si una ad alteram fuerit relata, ut pateat, quomodo ad illam sese
 habeat. Etenim architectus Sutori pro calceo simpliciter non dabit
 domum, unde, ponderatis pretiis domus & calceorum, prius æ-
 qualitatem s. proportionem constituet, ut eadem pretiorum sit
Giphanius quantitas, quam permutationem instituat. Aristoteles igitur, prout
V. Ethic. annotat Doctissimus Giphanius, analogias vocabulò generatim h. l. usus
V. est, ejusq. contrarium posuit vocabulum æqualitatis, ut qui hic non spe-
 ctavit differentiam illam Geometricæ & Arithmeticæ proportionum, sed
 hoc tantummodo docere vult, talionem esse quidem jus, sed proportione,
 non verò ex æqualitate, i. observatis personarum & rerum attributis s.
 circumstantiis, an sit magistratus, an in locò publico, an sponte, an ead. m
 sit quantitas & qualitas, que attributa observat ἀναλογία, contemnit
 æqualitas, contemnit & talio. Sed quænam æqualitas? Certè non
 quælibet, sed saltim illa, quam Pythagorei urgebant, nempe æqua-
 litas secundum speciem; æqualitas enim proportionis circumstan-
 tias istas minimè excludit, sed omninò eas supponit. Primum igitur
 ἀναλογίας vocabulum non de Geometricâ, sed de Arithmeticâ proportio-
 ne accipi debet, inquit jam laudatus autor; nam in hâc tractatione
 nullus est usus Geometricæ proportionis, eâq. de re nulla quoq. ejus facta,
 ut fieri debuit, mentio. Et paulò post: ut igitur ad sententiam venia-
 mus, nihil hic novi affert Aristoteles, nam quod jam aliquoties
 per-

permutationibus necessariam esse æqualitatem analogicam, id h. l. repetit, sed aliis verbis: oportet, inquit, deducere tam personas quam res in schema & figuram analogiæ, cum contrahent & inter se permutare volent, id est, ut justa sit permutatio, analogica æqualitas præcedat necesse est.

§. XXIIIX. Cæterum, quoniam justitiæ Commutativæ munus & officium non tantum consistit in eò, ut prospiciat, quò in rerum commutationibus exacta observetur æqualitas juxta proportionem Arithmeticam, verum etiam omnem inæqualitatem corrigat, hinc ulterius notandum, correctionem illam non unò modò institui posse, sed variare, prout variè illata est injuria. Interdum enim injuria intra singulos tantum privatim subsistit, & sic inæqualitas corrigi potest, si damnum simpliciter restituatur: Non rarò autem ita alteri inferitur injuria, ut ipsum damnum etiam in totam rempubl. redundet, quod cum primis fit in maleficiis & delictis, ubi respubl. turbatur; & in hisce non sufficit, si illatum damnum fortean privatim possit retundi, sed insuper reipubl. turbatæ satisfaciendum est. Atque hinc orta subdivisio justitiæ correctivæ in Emendatricem & vindicatricem; illa versatur inter singulos v. gr. inter civem & civem seque intra privatos interdum continet parietes; hæc verò inter delinquentem & rempubl. turbatam, adeoq; semper ad publicum Magistratum devolvitur tanquam judicem, cum vindicta privata sit prohibita.

§. XXIX. Obsignabimus totam hanc doctrinam illustri quodam exemplo, quod cum dictione omni nectare, omni indicæ arundinis humore suaviori referat *Lipsius*, verba ipsius nostra faciemus. Erat CAROLO AUDACI Burgundiæ & nostro duci vir nobilis in ferventi gratia; atque ei præfecturam oppidi in zelandia dedit. Ipse ibi in otio amorem concipit in faminam corpore scitam & moribus, animò meliorem, ut docuit eventus. Primò aspectus, obambulatio, suspiria, & quæ solent amantes: mox audacior & verba miscet & affectum aperit & solatium orat. Neque promissis abstinet & omnia tentat, quæ sint expugnanda. Frustrà, munita undique castitas erat. Igitur desperatione ad facinus se vertit. Præfectus erat, ut dixi, & Carolus noster in bello; maritum igitur amatæ faminæ proditionis insimulat & statim in vincula missum carcere custodit. Quò fine? ut vel hòc metu minisque illam moveat & obnoxiam sibi reddat: vel maritum ipsum amoveat, remoram amori. Custodit igitur

Lipsius
Lib. 2. cap.
9. de moni-
tis & ex-
emp. Pol.
mon. 7.

tur, & mulier casta & viri amans statim ad carcerem, à carcere ad præfectum, deprecatura aut liberatura, si possit. Præfectus: Et tu ô mea me rogas? imperium quod in me habes ignoras? affectum saltem mutuum redde, & maritum ecce reddo. Detinemur enim uterque, ille in meo, ego in tuo carcere aut vinculis: ah quàm facilè utrumque solvis! quid renuis? amans peto & per meam vitam, præfectus peto, & per mariti tui vitam. Utraque agitur: & perire si debeo, perdam. Atqui miserere; & mulierem te & conjugem ostende. Mulier rubere ad ista & stupere: & tamen pro marito etiam timere. Constat magis animo, quam corpore: & trepidat & pallet. Atque ille, quia moveri visa, & leviter vim verecundanti adhibendam ratus (soli erant) in lectum impellit, fruitur fructum, utrique mox acerbum. Nam mulier confusa & lacrimabunda abiens pudoris magis quàm peccati ægra, iram & vindictam coquit: quàm magis etiam accendit barbarum (quomodo aliter appellem) Præfecti factum. Nam ille voti potitus, & cætera prolixa autumans, si æmulum sustulisset: maritum damnari curat, damnatum capite plecti. At id non in publico, sed carcere ipsò factum, atque ibi cadaver in arcam ligneam inclusum, mox sepeliendum. Venit interea mulier, sive accita ab ipso (ut quidam tradiderunt) sive sponte & super salute mariti anxia: sed venit & vel ex pacto maritum recipere se sperat. Ille benignè affatus, Et maritum, inquit, quæris? habebis. Abi (& digitum ad carcerem intendit) invenies & tolle. Nihil suspicata abit, videt & percellitur, & animò ac corpore lapsa super cadaver se abjicit: ac diu lamentata, recipit animum atque iram, rediensque atroci vultu & verbis. Et hercules, inquit, reddidisti maritum: gratia debetur, exsolvam. Retinere & placare conatur, frustra: non tigris magis sæviat, fætu erepto, statimque amicorum fidis advocatis rem denarrat, ejus ordinem & culpam suam non culpam ac consilium viamque ultioni exquirat. Censent omnes ad principem eundem, qui inter alias virtutes eximius justitiæ cultor erat. Accedit duobus amicis comitata, auditur: vix creditur; & indignatur & dolet princeps, hoc in suo solò & è suis quemquàm ausum Sed & mulieri edicere minaciter, nisi vera & certa afferret, malum habituram. Jubet manere in aulâ & in vicinum cubiculum secedere, dum præfectum vocat. nam fortè & ipse in aulâ erat. Venit; introducit & mulier. Hanc nostin? ait Princeps. Colorem homo mutat; & Princeps exsequi-

sequitur: at querelas, quas super te defert, etiam nosti? atroces sunt,
& quas nolim esse veras. Quid ais? Vacillat, perplexè loquitur, ne-
gat aliquid & annuit; donec princeps ex vultu ipso & sermone cul-
pam suspicatus, ut tamen certior esset, remotis omnibus solum al-
loquitur: Quam mihi fidem debeas, & quam beneficiis meis gra-
tiam, non nescis. Per hanc & illam te adjuro, ut quid in hac re sit,
liquidò & sine ambage denarres. Fatenti gratia, aut aliqua severitas
non deerit, nec abnuenti tormenta. Ibi ille ad genua se abjicere, fa-
ctum agnoscere, denique mulierem culpæ omnis liberare, se onerare;
sed in gratiâ Principis refugium & solatium ponere. Quam ut magis
impetret, illicitam libidinem purgaturum matrimonio offert. Prin-
ceps quasi aures præbens & jam mitior, mulierem revocari, quos-
dam è suis assistere jubet. Et heus tu, quoniam huc ventum est, mu-
lier, placetne maritum hunc habere? Illa abnuit: & tamen volun-
tatem aut jussa Principis timens adspicit circumstantes. Qui certa-
tim innuunt aut suggerunt, accipiat conditionem viri nobilis, di-
vitis, apud dominum gratiosi. Victadat manus, quas Princeps jun-
gè cum Præfecti jubet, & solennibus verbis matrimonium firmari.
Firmatò, iterum Princeps: Tu nove marite hoc jam nunc largire,
ut si prior sive liberis obeas, hæc conjux hæres omnium bonorum
tuorum. Libens concedit, testes audiunt, tabularius scribit. Et his
peractis noster Carolus ad fæminam: Dic sodes, animo tuo factum
jam satis? satis, inquit mulier: at nondum meo, ille subjicit, & able-
gatâ fæminâ jubet præfectum in illum ipsum carcerem duci, in quò
maritus cæsus, & pariter cæsum in arcam ligneam sive capulum de-
poni. Ecce, quam curatè Princeps laudatissimus justitiam cum e-
mendatricem, tum vindicatricem observaverit vid. disput. Dn,
Eichelii de just. §. XXVI.

SECTIO II. EROTEMATICA.

Q. I. An pænæ secundum proportionem Geo-
metricam an verò arithmeticam infligendæ?

§. I.

Pertinax contentio est inter Ictos & Philosophos quosdam subtis-
simos, quânam ratione pænæ sint irrogandæ; illi fermè eò ten-
dunt, proportionem Geometricam in pænarum irrogatione esse
observ-

Wesenb. observandam, adeò, ut *Wesenbecius* apertè fateatur, *justitia distrib-*
S. II. pa- *butiva actionem & proportionem Geometricam nuspiam cautius con-*
rat. de *spici, quàm in penarum distributione.* Neque tantùm Icti plerique
just. & ju- hanc amplectuntur sententiam, sed & Philosophos benè multos à
re parte illorum stare deprehendimus. Alii autem Icti pariter atque
Philosophi, quorum insignis iudicii ac ingenii vigor, haud verentur
contra illos dicere, pœnas nequaquam proportionem Geometricam,
sed arithmeticam esse infligendas. Rationes ab utrâque parte satis
speciosas adesse, dubitare nos non finit summorum virorum splendor
& autoritas, qui dissentientes hâc in re fovent animos. Quò
majori ergò contentione controversia hæc agitur, eò impensius
perspicuitati navanda opera.

§. II Geometricam autem Proportionem hic non posse attendi,
hòc evincimus discursu: Q. Proportio non exactam servat æqualitatem,
illa in pœnarum inflictione non est adhibenda. Sed proportio Geometrica
non exactam servat æqualitatem. E. in pœnarum inflictione non est
adhibenda. Major fundatur in ipso jure naturæ, cum recta dicitur ratio,
pœnam debere simpliciter æqualem esse delicto, ut nec gravior nec
levior sit. Minor patet ex §. XVII. & XIX. Sect. I. Differentia enim
numerorum Geometricorum semper est inæqualis, quò ipsò innuitur,
in proportione Geometrica neminem præcise tantum accipere,
quantum in se fortassis est promeritus, adeoque hâc ratione non
esse æqualitatem, sed saltem respectivè s. proportione.

Heiderus §. III. *Heiderus* talem instituit conciliationem, pœnas cum ad
part. 2. *commutativam tum distributivam posse referri, ad illam, quod dam-*
Phil. Mor. *num & lucrum tollant, & ad æqualitatem arithmeticam omnia redu-*
de just. p. *cant; & quod delictis exactè debeant respondere. Ad hanc verò, quod per-*
261. seq. *tineant ad ea, quæ inter cives sunt mæisa, & quod aliis peccatorum ge-*
neribus alia pœna irrogentur. Verùm πρὶν δὲ δύο, ἐχθροὶ ἐς φιλίαν ἐλ-
δοιεν, ὁ μὲν ἐκ πελάγους, ὁ δ' ἐκ χερσῶν, quam duæ distinctæ
justitiæ particularis species. Nam quod (α) dicitur, pœnas spectare
ad ea, quæ inter cives sunt μέρισα, hoc videtur negandum; ea
namque est natura rerum communium interque cives dividendarum,
ut quilibet jure aliquid de illis participare debeat; at quis hoc
dixerit de pœnis? Quin potius, cum quis propterea pœnas det,
quia hujus vel istius peccatoris, non verò quia civis est, patet,
pœnas non esse ἐκ τῶν με-
εἰσῶν.

9
§. III. Altera ratio nihil probat, nam quod aliis peccatorum gene-
ribus aliæ infliguntur pœnæ, causa hæc est, ut quælibet pœna delicto
sit æqualis: at verò in justitiâ distributivâ dignitate distinctis distin-
cta tribuuntur præmia, non ut præmia cujusque dignitati exactè re-
spondeant, sed saltim ut respectivè tantum quis accipiat, quantum
intuitu dignitatis aliorum ipsi tribuere fas est. Aliàs inquit Dn. D. *Disputat.*
JOH. MUSÆUS, si pœnæ ex eò dicende essent Geometricâ proportione ir- *de Eadem*
rogari, quod persone ob inequalia delicta inequales pœnas luant, sequere- *hæc quest.*
tur, quod etiam in commerciis v. gr. in emtionibus, venditionibus &c. Geo- *S. XXV.*
metricâ proportione æqualitas constituenda esset: quia v. gr. duo emtores,
qui inequalẽ pecuniam afferunt, à venditore etiam inequalia accipiunt.

§. IV. Sed videamus arma, quibus causam suam defendere sa-
tagunt, qui pro Geometricâ proportione militant. *Obji. I.* In quò-
cunque justitiæ actu æqualitas rerum non potest constitui, nisi re-
spectus personarum observetur, in eò proportione Geometricâ u-
tendum. Atqui in irrogatione pœnarum æqualitas rerum non po-
test constitui, nisi respectus personarum observetur. E. in illâ pro-
portione Geometricâ utendum. Major suâ radiat luce. Minor prob.
quia aliàs omnibus promiscuè ob idem delictum eadem infligenda
esset pœna, quod absurdum; nam si quis magistratum gerens aliquẽ
pulsaverit, quis credat, illum esse referendum, & si quis eum, qui
magistratum gerat, pulsaverit, non modò ille verberandus, sed et-
iam supplicio afficiendus. *Arist. V. Ethic. V.* Unde (II) ita inferunt:
Si ob idem delictum mitius sunt puniendi liberi quàm servi, nobiles
quàm ignobiles, bene quàm malè meriti, integræ quàm sceleratæ vi-
tæ, sequitur in irrogatione pœnarum respectum personarum haben-
dum. Sed prius uti legibus civilibus consentaneum; ita posterius quo-
que verissimum erit.

§. V. Ad (I) ut respondeatur, præmonendum, ejus propositio-
nem minorem geminum posse admittere sensum (a) hunc, in irro-
gatione pœnarum æqualitatem non posse constitui, nisi respectus
personarum fuerit observatus s. nisi hic fuerit præmissus, ita ut in
anteceßum pœna & delictum referantur cum ad personam delin-
quentem, tum læsam, illorumque gravitas harum respectu æstime-
tur. (ß) Sensus etiam hic potest esse: quod in ipsâ irrogatione pœna-
rum æqualitas non possit constitui, nisi simul respectus personarum
observetur. Quæcunque jam ratione minorem explicent, argumen-
tum

Ad I.
Resp.

Obji. II.

E

tum

Disput. de
equalit.
S. XL.

cum ipsum manet invalidum. Si priori modo, largimur minorem, cum delictum ex circumstantiis prius accurate sit ponderandum æstimandumque, quam poena infligatur, quemadmodum etiam prius dispiciendum probe est, cum quorum bonorum privatione poena sit conjuncta, sed Major falsa est. Sicut enim, inquit rursus *MAGNIF. DN. D. MUSÆUS* omni in negotio, ubi datur plus & minus, res prius æstimari oportet, antequam equalitas per actum justitiæ certa proportione constitui possit, ut quemvis sua ratio atq; experientia docet: ita ex illo, quod personarum respectus ad rerum æstimationem necessarius est, de proportione ipsâ, Geometrica an Arithmetica sit, male judicatur. Atq; in hoc, pergit, videtur mihi doctissimus *Vesembecius* cum aliis labi, quod duos actus, quorum unus res v. gr. delicta & poenas metitur, alter vero, factâ rerum commensione, ipsam equalitatem constituit, confundunt, cum tamen non solum diversissimi sint, sed etiam posterior tantum justitiæ particularis proprius. Alterò verò modo si accipiatur propositio Minor, falsa est. Neque enim respectus personarum per se spectat ad irrogationem poenarum, velut ad justitiam distributivam; in hac enim considerantur personæ primò & per se, etiam quando æstimatio dignitatis personarum & bonorum distribuendorum facta est, & non nisi proportione Geometricâ equalitas constituitur, ita ut quanto major sit civis, tanto majus quoque ipsius sit præmium. Verùm in poenarum irrogatione per accidens tantum spectantur, quatenus faciunt ad delictum vel augendum vel minuendum, cognitâ autem quantitate delicti & poenæ justitiæ Correctiva, neglectâ personarum dignitate, quâ quælibet aliàs eminent, iisque pro æqualibus habitis, per se illud intendit, ut justa equalitas constituatur inter partem lædentem & læsam. Hæ enim utut hic quoad dignitatem habeantur pro æqualibus, inæquales tamen factæ sunt ob injuriam datam & acceptam, quæ inæqualitas corrigenda. Ad locum Aristot. supra responsum; hic saltem addimus, quod, quicumque ibi indiget respectus, is propriè spectet ad rerum æstimationem.

Ad II.
Resp.

S. VI. Ad II. Resp. Distinguendo inter poenas abstractivè seu in se quoad speciem consideratas, & inter easdem concretivè sumtas. Si sermo est de poenis absolute sumtis, antecedens utròq; comprobamus pollice, sed negamus consequentiam, non enim propterea liberi, nobiles & benemeriti mitiorem ob idem delictum sortiuntur poenam, quia majorè, habent dignitatem respectu servorum, igno-

ignobilium & malè meritorum, sed quia aliàs delicto pœna esset gra-
vior: unde nullâ hic opus est comparatione inter nobilem & ignobi-
lem, servum & liberum idem delictum committentes, sed unusquis-
que tantâ affici debet pœna, quantam gravitas delicti requirit. E-
nimverò prudens rerum æstimator statim perspicit, quod si eandem
specie pœnam nobilis cum ignobili experiri debeat ob idem deli-
ctum, pœna nobilis gravior sit delicto, quia in ipso cum privatione
plurium bonorum est conjuncta atque in ignobili, ideo justitia cor-
rectiva demit speciem pœnæ & aliam substituit, ut omnimoda æqua-
litas inter delictum & poenam oriatur. *Viri illustres plus in dedecore si-
tum putant, quam dolore, inquit Tullius.* Hinc si ob idem delictum
nobilis relegatur, rusticus verò fustibus coërceatur, pœnæ quidem
in se spectatæ differunt, interim relegatio nobilis delicto ejus esset æ-
qualis, quemadmodum fustigatio delicto rustici. At verò si eandem
specie pœnam etiam nobilis deberet subire, (1) perciperet dolorem
(2) amitteret dignitatem, cum tamen rusticus tantum perentisceret
dolorem, adeoque pœna nobilis dimidiâ parte esset gravior. Sic mi-
tius etiam punitur primum delictum, quàm iteratum, sed non intui-
tu personæ peccantis, verum quia diversa actio est, quæ procedit ex
lapsu & errore, & quæ ex animò ad maleficia obdurato. *Idem deli-
ctum in duobus non eodem modo afficit, si alter per negligentiam admi-
sit, alter curavit ut nocens esset, inquit Seneca lib. 1. de ira cap. ult.* At-
que hinc *Pittacus* graviolem pœnam constituerat, si quis alienam
uxorem blanditiis ad faciendum adulterium pellexisset, quàm si ei
vim attulisset, quod vi adhibita corpus tantum, blanditiis etiam a-
nimus corrumperetur. Si verò pœnæ sumantur in concreto, falsum est
antecedens, delinquentes videlicet illos ob idem delictum non æ-
què graviter puniendos. Nam si pœna nobilis delicto ejus non esset
æqualis, injusta esset; unde quando in legibus civilibus idem deli-
ctum modò gravius modò mitius puniendum præcipitur, sensus est,
eandem specie pœnam omnibus ob idem delictum non esse appli-
candam, quia aliàs sæpenumerò gravior esset delicto, sed tunc mi-
tiores esse substituendam, quæ tamen, quia cæterorum bonorum a-
missionem habet annexam, delicto æquè est æqualis, atque illa quæ
speciem gravior alii ob idem delictum irrogata. Et hæc juxta teno-
rem Justitiæ; aliàs omninò excipimus eos casus, quando boni publi-
ci causâ omnia ad vivum refecari non possunt; it. quando princeps

interdum alicui ex clementiâ & gratiâ noxam dimittit, aut mitiorem poenam delicto decernit, quæ justè poterat esse acerbior.

Dub.

Solutio.

§. VII. Hic iterum notandi sunt illi, qui in ipsâ correctione proportionem Arithmeticam rectè adhiberi non dubitant; interim in investigandâ magnitudine *αναλλάγματος* involuntariis delicti, in quò personarum differentia attenditur, dicunt Geometricam proportionem sine omni dubiò esse adhibendam, ut scil. persona lædens & læsa expendantur; hoc autem absque proportione Geometricâ fieri non posse, ex mente ipsorum rectè ostendit *Vvesenbecius*. Verum ut, quid sentiamus, liberè eloquamur, non omnis respectus est statim proportio Geometrica; nec adparet, quâ ratione eam ex illò personarum respectu, qui in delicti magnitudine investigandâ minimè negligendus, elicere aut velint aut possint. Et positò numeros Geometricos interdum posse ostendi, dubitamus tamen adhuc, quod illi tanquam certum supponunt, an delicti magnitudo præcisè & insolidum ex illò respectu, quò personam lædentem cum læsâ conferimus, possit cognosci, permagnum eum adferre momentum ad delicti gravitatem vel augendam vel minuendam, largimur ambabus, an autem magnitudo simpliciter & per omnia inde pendeat, etiam atque etiam dubitamus. Sanè si hic qualiscunque respectus illicò proportio Geometrica esset appellanda, in quolibet justitiæ distributiæ actu instituendo duæ proportiones Geometricæ occurrerent, una, quâ res & personæ æstimandæ, altera, quâ res æstimatæ distribuendæ. Aliàs Philosopho quamplurimi dicam scribunt, quò jure nunc non attinet dicere, quasi terminis mathematicis tenebras obduxerit huic doctrinæ; ast potiori jure hoc de iis asserendum, qui in justitiâ commutativâ arithmeticâ proportione haud contenti, adhuc Geometricam præmittendam volunt, quæ tamen si accuratè loquamur, proportio Geometrica non est, sed saltem aliqualis respectus.

Q. II. An, cum socii lucri faciendi causa inæqualiter certam conferunt pecuniæ summam & inæquale lucrum auferunt, contractus hic pertineat ad justitiam commutativam, an distributivam?

§. IIX.

§. IIX. De quaestione hac sicut in utramque disputatur par-
tem; ita utrinque autores habet eximios. Qui pro justitiâ commu-
tativâ pugnant, ita armati incedunt (I) ubicunque datur verus con-
tractus, ita ut lucrum, quod unusquisque aufert, non primum, sed
debitum dici mereatur, ibi datur justitiâ commutativa. Atqui in ad-
ducto casu res ita habet. E. (II) in quocunque actu neglecto perso-
narum respectu res cum rebus conferantur, iisque adæquantur, ille
spectat ad justitiâ commutativam. Atqui in adducto actu hoc fit.
E. (III) ubi non distribuitur res ad civitatem pertinens, ibi locum
non invenit justitiâ distributiva. Atqui in cit. contractu non distri-
buitur res ad civitatem pertinens. E. Major prob. ex Aristot. V. E-
thic. V. ubi dicit, *unam speciem justitiâ esse, quæ in distributione vel ho-
noris vel pecunie vel aliarum rerum, quæ inter eos dividi possunt, qui e-
jusdem REIPUBLIC. communiione inter se conjuncti sunt, versatur.*

Argum I.

II.

III.

§. IX. Verum re penitus perpensâ, altera sententia videtur
probabilior, pro quâ confirmandâ talis adfertur ratio: In quocun-
que contractu lucrum tanquam bonum toti societati commune
proportione Geometricâ dividitur, ille referendus ad justitiâ distri-
butivam. Atqui in cit. contractu lucrum tanquam bonum toti socie-
tati commune proportione Geometricâ dividitur. E. referendus est
ad justitiâ distributivam. Minor prob. quò quis enim majorem
contulit summam, eò major ipsi cedit portio lucri, respectu alterius.
Sed hic excipiunt, qui contrarium sentiunt, inæqualitatem istam
non statim indicare proportionem Geometricam, cum etiam in
justitiâ commutativâ occurrere possit. Probare hoc conantur tali
exemplo: quando res diversæ & inæquales à diversis emuntur, pre-
tium sanè illorum fit inæquale, quis dixerit autem, emtionem illam
ac venditionem juxta proportionem Geometricam esse institutam?
Eandem igitur rationem contractus propositi esse existimant. Ve-
rùm, quod pace illorum dictum sit, *χωρίς τὰ μέρη καὶ Σιλων ῥεύματα.*
Ingens certè est discrimen inter inæqualitatem istam, quæ in justitiâ
commutativâ præfatò modò, & quæ in contractu præsentis occu-
rit. Hæc enim respicit bonum s. lucrum commune, ad quod par-
ticipandum omnes, qui sortem contulerunt, suò modò sunt idonei;
illa verò bona privata Hinc omninò fieri potest, ut unus respectu
præstantioris objecti proprii majorem solvat pecuniæ summam, al-
ter verò intuitu objecti proprii, deterioris conditionis, minorem.

Except.

Resp.

E. 3.

Quis.

Quis autem non perspicit, longè aliam esse rationem contractus pro-
positi. Licet enim socii isti inæqualiter pecuniam conferant, hoc
tamen nemo illorum facit intuitu certi, determinati ac proprii ob-
jecti, sed communis, indeterminati ac incerti, cum unusquisque de-
mum mediante justitiâ distributivâ accipiat, quod suum est. Deinde
inæqualitas, quæ in hõc contractu occurrit, ita est comparata, ut
non semper quilibet tantum accipiat, quantum fors ipsius in se vi-
debatur requirere, hõc tamen non obstante, semper accipit quod
suum est, ut justè conqueri non possit, modò aliàs lucrum rectè fue-
rit distributum. At verò quotiescunq; in justitiâ commutativâ oritur
inæqualitas respectu rerum diversarum, quæ à diversis emuntur, to-
ties unusquisque κατ' ἀεὶ μὲν tantum accipit, quantum ipsi debe-
tur, ita ut si secus fiat, injustum sit.

Ad I. Resp.

§. X. Ad I. Resp. N. Maj. Neque enim tantum in justitiâ com-
mutativâ veri dantur contractus, sed etiam in distributivâ, licet non
tales, quales ibi occurrunt. Siquidem omnes contractus justitiæ
commutativæ ita sunt comparati, ut alter alteri æquale κατ' ἀεὶ μὲν
debeat, secus quam in contractibus communibus res habet. Hic
namque contrahentes lucrum sorti suæ exactè respondens haud-
quaquam promittere possunt, cum res illa fortunæ novercantis lu-
dibrio sit obnoxia. *Metelli quidem sperat sibi quisq; fortunam, at-
amen fors domina campi: cum Deo quisq; & gaudet & flet.* Unde con-
tingit, ut interdum lucrum collatis sortibus majus, interdum mi-
nus, interdum etiam planè damnum faciant. Quocunque autem
modò res ceciderit, semper s. lucrum l. damnum proportionè Geo-
metricâ est distribuendum. Deinde sicut ad justitiâ distributivâ
non simpliciter requiritur, ut res distribuendæ semper præmii strictè
sic dicti veniant nomine, sed sufficit, si sint communes pluribus iis-
que pro dignitate debeantur: ita debitum præcisè non infert justiti-
am commutativâ. Alii autem lucrum respectu singulorum præ-
mium dici posse statuunt, adeoque negant etiam Minorem. Ad II.
Resp. Neg. Min. Falsum est respectum personarum negligi in hujus-
modi contractu & res rebus adæquari. Posterius enim hoc rarissimè
fieri varietate fortunæ jam fuit ostensum. Prioris autem contrari-
um ipsa recta ratio & experientia evincit. Quando enim in hujus-
modi contractu alteri plus, minus alteri tribuitur, nullam aliam ob-
causam hoc fit, quàm quod unus alteri dignitate antecellit, quæ
per-

*Ad II.
Resp.*

personarum dignitas æstimatur, h. l. ex fortium collatarum inæqualitate, sicut in oligarchiâ dignitas personarum divitiis æstimari solet. Ad III. Resp. Neg. Maj. Arist. l. c. saltem exemplum adduxit. *Ad III.*

Resp.

Q. III. An liceat fures suspendere?

§. XI. Diximus in præced. inter poenam & delictum omnimodam servandam æqualitatem, adeoque pro cujusvis morbo quærendam medicinam convenientem; quod videtur pugnare cum hodiernâ praxi. Sanè poena suspendii, quâ ex constitutione *Friederici II. Imperatoris* furta puniuntur, gravior omninò videtur ipso furto, adeò ut etiam *Vendelinus* id propter eam injustitiæ postulare non dubitaverit. Consideremus argumenta. (I) Quæcunq; poena delicto proportionem non respondet, illa injusta est. Atqui poena suspendii delicto nempe furto proportionem nò respondet. E. est injusta. *Vendelinus lib. 1. Phil. mor. c. 30. arg. 1.* Min. prob. suspendium enim ipsam vitam hominis tollit, furtum autem ut tale concernit tantum res externas; quò nobilior ergò & pretiosior est vita hominis bonis fortunæ, eò minor inter furtum & suspendium est proportio; Quò accedit, quod bona erepta aliquando possint restitui, vita verò nunquam. (II) Q. poena neque legi divinæ nec civili est conformis, illa est injusta. Atqui poena suspendii &c. E. Min. prob. (I) Lex divina enim furto sine violentiâ facto decernit poenam pecuniariam, nempe restitutionem dupli vel quadrupli, non verò suspendium. Vid. *Exod. 22.* Similiter *Gellius lib. 11. cap. 18.* testatur, apud Romanos poenam furti manifesti fuisse quadruplum, concepti & oblati triplum.

II.

§. XII. Respondeat (I) *Seneca*: Hoc semper, inquit ille, in omni animadversione servabit (judex), ut sciat alteram adhiberi, ut emendet malos; alteram ut tol'at. In utròque non præterita sed futura intuebitur. Nam, ut *Plato* ait, nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur; revocari enim præterita non possunt, futura prohibentur, & quos volet nequitie malè cedentis exempla fieri, palàm occidet; non tantum ut pereant ipsi, sed ut alios pereundo deterreant. Atque hinc oritur distinctio inter poenam emendationis & expurgationis, illam adhibet magistratus, quando fures fustibus, virgis & scopis cædi curat; Phryx enim plagis emendatur. At verò quoniam communiter serò sapiunt Phryges, neque meliorem respiciunt frugem, solidæ nequitie duriora applicat remedia, & cum

Seneca lib. 1. de irâ cap. XVI.

Seneca

Seneca in hæc quasi erumpit verba: *Tibi* insanabilis animus est, & jam non caulis, quæ nunquam malo defuturae sunt, impelleris, sed latis tibi est magna ad peccandum causa, peccare. Perbibisti nequitiam, & ita visceribus immiscuisti, ut nisi cum ipsis exire non possit. Olim miser mori quæris, benè de te merebimur, auferemus tibi istam quâ vexaris, insaniam, & per tua alienaque volutato supplicia, id, quod unum bonum tibi superest, repræsentabimus, mortem. Quia igitur iudex probè perspicit, quod si delictum mitius puniatur, plures alii, poenâ læviori contemtâ & excusâ, idem sint imitaturi, adeoque cum simplici quodam delicto, non asperè satis punito, totius reipubl. damnum fore conjunctû, necessariò ad poenam expurgationis transit, quâ non solùm de medio tollit ipsum furem, verum etiam libidinem peccandi exemplo publico è reliquorum animis radicitus extirpat, adeoque, quantum in se est, rempubl. expurgat. *Absq; hæc enim si foret asperitate, rectè inquit Heiderus l. c. p. 614. nec domi nec ruri quisquam tueri sua posset, quæ rapiendi licentia turbas, cedes & infinita mala secum erat allatura.*

Ad I. Resp.

§. XIII. Respondemus igitur (2) ad (1) argum. ejus Majorem limit. h. m. Quæcunque poena delicto cum omnibus circumstantiis considerato proportione non respondet, illa est injusta. Et sic neg. Min. omninò inter poenam suspendii & furtum est proportio licet non absolutè & in se, sed quatenus cum furto alia plura eaque graviora mala sunt conjuncta, quæ aliàs certo certius toti reipubl. impenderent, nisi maturè talis medicina paretur. *Ad II. Resp. Neg. Maj.* sicut enim Respubl. judaica nihil ad nos: ita etiam lex, quæ ad eam unicè spectavit, à nobis non statim observanda. Legum civilium autem ea est ratio, ut prior cedat posteriori. Licet igitur olim obtinuerit ista lex, hodiè tamen ob causas gravissimas negligitur, cum crescentibus delictis crescant pænæ. Sed ne nimium etiam excre-
scat dissertatio nostra, colophonem addimus dicentes;

*Ad II.
Resp.*

DEO TRINUNI SIT LAUS ET
GLORIA PERENNIS!

7
Justicia in sese virtutes continet omnes:
Tute tenes chartâ & pectore Justiciam.
Virtutum quidni præcellsum culmen habebis?
Gratulor! hæc vera est, pergito, ad astra viâ

*Ita Eruditissimo & Charissimo Dn. Sar-
nichhausen ex animo FELICITER
acclamare voluit*

**MICHAEL Schöffenberg/
von Schattendorff/Hungarus.**

So recht / Hochwerther Freund! Diß ist die Edle
Bahn/
Auf der man lebend noch sich ganz vergöttern kan.
Er zeiget mit der That/ die Tugend volle Sinnen/
Den Enver vollen Geist/ das brünstige Beginnen
Er setz forth solchen Fleiß/ bis Er mit Ruhm erlanget
Der Musen Edlen Sitz/ wo Pallas selber pranget.
Ich wünsche Glück dazu: Sein Ehre steige gleich/
Des Adlen Batters Ruhm/ bis an der Sternen
Reich.

Hiermit bediente glückwünschend seinen sehr werthen
Freund und Herrn Landesman

**Fridrich Fielbaum/von Pressburg/
Ungarus B. R. B.**

(o) 3

So

So bald ein fruchtbahr' Baum erlanget seine Sprossen/
Und von der nidern Erd ein wenig aufgeschossen
Bringt er sein' edle Frucht/die iederman er freut
Ja welche uns Gott selbst zur Speise hat bereit/
Gleich einem Baum hat auch / Er werther Freund/
bearüffet
Diß unser Saal Athen/allwo Ihn steths begiesset
Der wahren Weisheit naß. Er bringt nun seine
Frucht
Und giebt ganz klahr am tag / was sein Fleiß hat
gesucht.

Von der Gerechtigkeit läst er sich redend' hören/
Die wird zu seiner Zeit gewißlich Ihn verehren
Mit Ehr der Tugend Lohn. Der Anfang giebt am
Tag/
Was man noch dermaleins von Ihm verhoffen mag.

Dieses wenige hat aus treuem Gemüch seinen wehreges
ehrten Herrn Landsmann glückwünschend
benseken wollen.

Christoph Adam/von Dedenburg
aus Ungarn.

Pulpita docta petens, juvenili ardore furorem
Conceptum studii, dulcis amice, probas.
Pergas, hinc pectus furiens sic arte colendo.
Et patriæ gratus, gratus erisque Tuis.

Gratus

Gratus eris Musis; Phœbus decernet honores
Mox dabit & studiis, præmia digna Tuis.

*In gratiam Præximii Dn Respondentis,
amici singulariter honorandi, m. & m.
amicâ, gratulabundus adjicere vo-
luit debuit*

Michael Petritschius,

Sempron. Hung.

Dum pede felici conscendis, amande, cathedram,
Applausu, cœptis, gratulor inde, Tuis.
Nuncque precor: faxit summi Moderator olympi
Ut studium, crescat cum pietate, Tuum.

*Paucis hisce affectum gratulabundus
testari voluit*

Samuel Duetterus,

Sempr. Hung.

(o)

Art

Artis dum tantæ specimen, Doctissime, profers,
Omnes applaudunt, gratulor atque Tibi.

*Ita prestantissimo Domino Respondenti
Petro Danieli Sarnichhausen, publicam
Cathedram ascendenti docteq; disserta-
tionem de Justitia particulari defendenti,
amico suo paucis comparando acclamat.*

Adamus Fridericus Crausold,
Vnr.

Εν μὲν σοσίτοισιν ἄνῃρ πεπνύμενος ἔστι
Γιγνώσκων ἰαγαθοῖς κείμμενον εἴτε κακοῖς.
Τῆτο λέγεις καθέδρα ἐσῆς πόδα τόνδε πρὸ βασιλε
Πάλλων Ἀνθρώπων παῖτα λέγεις ἔτυμα


*Pauca hæc, literis, pietate, & moribus
bene exculto Domino Respondenti-
EVERGETÆ suo præprimis ho-
norando, in memoriam suam
adponere debuit voluit*

CHRISTOPHORUS König.



ULB Halle
005 132 681


3



V017







B.I.G.

Farbkarte #13

~~XXXI.~~

D. B. V.

TIO ETHICA

~~16~~

TERIOR,
DE

1668, 54

A PARTI-

20

LARI,

Quam

s auspicio, Amplis-

sophicae Suffragio Benevolò

Academiae Salanae

rationi publicae sistunt

RÆSES

ANNES Voigt

BURGENSIS,

ET

ANIEL Garnich

Hausen/

ra Hungarus,

PONDENS.

Philosophorum

H. L. Q. C.

JENÆ,

JACOBI BAUHOFERI

M. DC. LXVIII.